BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
165
D
30
NAPOLI

3

VICARIVS PROVINCIALIS

33..

P. XII
L: V
V. XII

VICARIUS PROUINCIALIS EXPENSUS

Et Iuxtà Strictioris, & Regularis Obſeruantiæ Iura dilucidatus

PER

F. DIONYSIUM A IANUA.

GENUÆ,

Typis Io: Ambroſij de Vincentijs.

Superiorum Permiſſu.

M.DC.LXIV.

PRÆCLARISSIMO VIRO
D. IACOBO PHILIPPO
MASSOLÆ I. V. D.
Abbati S. Saluatoris, Liſsieñ:
& S. Antonij, Anagnineñ. Diœceſis
Patrono Humaniſſimo
IO: BAPTISTA VENTVRA I. C.
Et in Ianuenſi Foro Cauſarum Aduocatus
Obſequentiſs. D. D.

OPPORTVNE factum eſt, eruditiſsime Domine; vt cum primùm ex Vrbe in Patriam dolens licèt ob Parentis Optimi

funus redieris, gemmam ad manus haberem, mole quidem tenui, ſed prętio raram, & pondere, quam Thiaræ virtutis, & annulo beneficientiæ Tuæ officioſum veluti ſidus inſererem. * Ceraunia ea eſt, Cœlo nata ex ignibus, ſplendore ſiderum, fulgorumque paſta; quæ fragores inter, & turbines, nimbis, tonitruiſque obſtetricantibus diſcluſa decidit, ſtellam in ſinu deferens, vt qualem animam habeat, ſtellato ex corde conijcias. * Nullum amuletum potentius ad auertenda fulmina, compeſcenda Maria, pacandos turbines, inducendam Cœlo, terræque tranquillitatem, vt prodigium ſit an præſtigium?

im-

* *Plin. l. 37. c. 9.*

* *Aldrouand. in Muſæo Metall.*

imperare fulminibus natam de fulmine; ſedare Maria, cohibere ventos, reſtinguere lites, quæ ventorum in Patria Natales habuit domos, lucemque hauſit primam, ſeditiones nubium, fulgura procellarum. Hæc, quæ de Ceraunia prodigioſè nimis, & temerè efferuntur in vulgus; quanto felicius, ac verius dé hoc opere dici poſsint, Nemo dubitabit opinor, qui nouerit illud originem trahere è Cœlo Patrio Seraphici Ordinis planè Cęleſtem, puris ex ignibus ſolidiſsimæ Veritatis, atque inter concordem pugnam, amabilemque diſcordiam ingeniorum præconceptum ad tranquillitatem animorum, ad ſerenitatem Ordinis, ad ſeditio-

num turbines auerruncandos impoſterùm, impreſsiones, aſſultus, tempeſtateſque eliminandas vnicè ſactum Diuinitus eſſe, & mirabili Sapientia conformatum. * Vtinam illud ipſum eueniat, quod olim de lapillo præclare viſum eſt, Momento Mundi ab itineribus Æternitatis deuoluto, quo perculſa in fictili ſimulacro Babylonis ſuperſtitio corruit. Ac Tu primum huic Operi naſcituro quam feliciter horoſcopatus es, Doctiſſime Domine, quam luculenter præluxiſti, qui in optima cauſa peroraſti ſæpe, ſæpe etiam peruiciſti? Noueras ſcilicet Magnæ Mentis illius ærarium, vnde prodiret, non adulterinis infuſcatum

* Daniel. 2. 35.

ſcatum coloribus, ſed natiuis illuminatum, non temere farctum, ſed conſilio, ſed ingenio perpolitum, elaboratum, abſterſum, & cui, quod Margaritis inſcripſit Plinius, *dos omnis eſſet in candore;* noueras, inquam, quam altè ſentiret, quam ſapienter, cordatèq; ſcriberet Vir ille, Religionis Franciſcanæ ſidus, magni nominis, Magnique in Rempublicam Chriſtianam Meriti, qui in Theologicis apprimè verſatus, quas docuit, Diuini Verbi præco non ſine præconio, ſacręque tum Conſultor Inquiſitionis, tum de propaganda Fide Congregationis Sacrorum PP. Correſponſalis, atque in Archiepiſcopatu Genuenſi examinator, ſuęq; Pro-

uinciȩ Pater, ampliſsimis vſquequaque titulis cohoneſtatus, tantam prȩſeferret cum Sapientia integritatem vitȩ, morumque comitatem, Moderationem tantam; vt in eo ambigi poſsit, plus ne demiſsio animi prȩſtet, an eminentia virtutis. His certè, atque alijs dotibus ſe non admirabilem modo, ſed amabilem fecit omnibus, ſibique demeruit amorem Patriȩ, cultum exterorum. Te igitur Ornatiſsime Domine, in Patronum huius operis adoptari fas eſt, qui tantum virum amplecteris, qui Seraphicum Ordinem ſtudioſè proſequeris, qui cauſȩ illius æquitati tam impensè Romȩ, tam ſtrenuè patrocinatus es, eà di-

cendi

cendi illecebrà, quà polles, ijs rationum Momentis, quibus inſueuiſti, ijs officijs, quibus Magnorum Prçſulum, Principumq; purpuratorum in Te beneuolentiam, & fauorem omnem Conciliaſti, ijs demerendi ſtudijs, vt Te dignitates ambijerint, Sapientiam tuam Diuini, humanique Iuris prudentiam, nec non politiorum litteraturam in flore çtatis cum honeſtate morum, candore, integritate coniunctam demiratç. Macte indole rarà, virtuteque ſublimi, præclariſsime Domine: graſſare ad honorum gradus ſublimiores, qui te prçſtolantur; prçtium habeat abs Te mea gemma: de Tuo fulgeat: irradiet articulo; ſolem

ſuum referat ; Orbem Seraphicum ditatura. Vale.

REVE-

1663. 13. Auguſti.

Imprimatur ex authoritate Illuſtriſſimi Magiſtratus Inquiſitorum Status:

Ioannes Franciſcus Caſtagnola Cancell.

Cenſura A.R.P. Io: Baptiſtæ Ferrarij S. Theol. Lectoris Ordinis Prædicatorum.

Opuſculum, cuius Titulus: *Vicarius Prouincialis expenſus &c.* de mandato Reuerendiſſimi P. Inquiſitoris Genuæ, ego infraſcriptus recognoui, in eo Catholicæ Fidei, & Orthodoxis moribus diſſentaneum, offendi nihil; immò eſſe opus admirabili doctrina, per eleganti ſtylo, & ſingulari perfectum ingenio, dignumque propterea, quod ad communem profectum, illorum præſertim, qui ſacris moderantur legibus, Typis mandetur.

Ita cenſeo ego F. Io: Baptiſta Ferrarius S.T.L. Ord. Præd.

Imprimatur.

Fr. Petrus Maria Gauottus Sacræ Theologiæ Magiſter Vic. Gen. Sancti Officij Genuæ.

Epiſtola A.R.P. Iuniperi à Medis S.T.L. & Prædic. Generalis, olimque ſuæ Prouin. Reformatę S. Didaci Definitoris benemeriti, &c.

A.R.P. Dionyſio à Genua S.T.P., S. Officij Conſultori, Prouinciæq; Genuen. Reform. Patri. Ad Conuentum S.M. Pacis Genuæ.

DVm poſt à me prædicatum Verbum Dei proximè præterita quadrageſima in tua Prouincia de redditu ad propria cogitabam, inopinatè ad meas peruenit manus opuſculum à P.T. compoſitum, & exaratu cui Titulus: *Vicarius Prouincialis expenſus, & iuxtà Seraphici Ordinis Iura, & ſtrictioris, & Regularis Obſeruantiæ leges dilucidatus &c.* quod cum poſt ſtudioſiſſimam animi mei applicationem per luſtrauerim, illud maximè veritati innixum, & per ſatis digeſtam Vicariorum Materiam, nuncuſque claritatis orbatam, cenſui, vereque in illius ſingulis partibus, & in toto, diſcriminis lepor, ſinceritatis, & veritatis venuſtas perfectè reſplendent, ſicq; adhuc in eo rerum congeriem explicatam, faciliterq; reperi reſolutam, vt apprimè Inſtituto Seraphico profuturum Iud cenſuerim, quinimmò in primis ſinceriſſimo multarum Canonicarum electionum candori, & legitimitati opportunum perſpexerim, ac omni acceptione, & veneratione potius, quam cenſura dignum meritò dixerim, & proindè, quod prælo, Typiſq; pro com-

muni

muni Regularium, præſertim Minorũm, vtilitate demandetur, ac diuulgetur, & prout ex noſtra inter nos antiqua familiaritate, animorumq; coniunctione in Theologicis ſtudijs concepta, & ſincerè conſeruata, obnixè deprecor, menteq; propria, & viuidiori ſenſu à P. T. exopto; ipſum namq; veluti quidam Mercurij aceruus ex aliorum offendiculis congeſtus, alijs demonſtrabit viam, & ſemitam in ſimilibus: hoc ergo fac, vt perennis viuas ad Dei gloriam, & aliorum iuuamen. Vale felix, ex Conuentu S. Crucis Papiæ die prima Iunij 1663.

P. T. A. R.

Deditiſſimus Seruus, & verus amicus.

Fr. Iuniperus à Medis.

A. R. Pater Dionyſius à Genua

A N A G R A M M A.

Ignota Pandis: Eris Via Vera.

E P I G R A M M A.

PANDIS dum leges noſtras, IGNOTAque iura,
VERA animi in dubijs queis VIA ſemper, ERIS.
Quæ docet obſcuros Pallas depromere ſenſus?
Qua per Mæandros arte retexis iter?
Æqua librando Aſtreæ myſteria lance,
Ipſa Ariadna tibi, Pallas & ipſa fuit.
Aſt Ariadnæo filo quem Aſtrea reducit
Ad Cœlos, pennis Icarus eſſe nequit.

F. Io: Benedictus a Portu Veneris Minorita Refor.

In

In Librorum impreſſione; Argi oculos cæcutire, dicebam aliàs, proinde errores, quos hic noto ſunt quos per tranſennam ſelegi; alios tua emendet patientia, & Intelligentia. Puncta, accentus, inter punctiones, & virgulas, ne fides antepoſitas, vel poſtpoſitas ſuis locis, ſed ſæpè oblitas, aut additas: Caracteres Maiuſculos pro minoribus, & è contra, ſæpiſſimè offendes, & non paucos forſan reperies, neque de his multum curauimus; ſolum hæc corrige notabiliora, & Vale.

In ſecunda Dedicat. in fine.

1663.

Ad eruditum electorem.

Lin.			lege	
	36	Pharica		Phalarica
	38	acibus		facibus
	39	Eccleſiaſticè In Caſu &c.		Eccleſiaſticæ

Pag.	Lin.		
2	6	ſuis	in ſuis
3	17	& ſui relati	& ſui reſcripti
6	22	nō ohſtātibus	nō obſtantibus
8	11	: præſertim	pręſertim
11	4	, martis	martis
14	3	vinctæ	iunctæ
16	13	debium	dubium
18	6	fuerit	fuit
18	19	tertiò	tertio
19	20	ohſtat	obſtat
21	25	quod	quoad
40	12	prouiſionē	prouiſionem
41	20	Prouinciam	Prouinciam
42	21	nil obſtante	non obſtante
44	2	quod	quo
47	3	reſſtringuunt	reſtringunt
50	14	vtraq;	in vtraque
51	11	impoſteris	impoſturis
51	11	Pindar	Pindarus
57	18	Ius quintum	Ius quartum
53	5	oelebranda	celebranda
72	25	ædita	edita
77	26	ipſins	ipſius
81	16	dicatnr	dicatur
82	5	vacantium	vacantiam
90	3	videliect	videlicet

Pag.	Lin.		
95	1	præſumant	pręſumunt
97	10	euidentiis	euidentiis
106	12	ad inuenta	adinuenta
109	13	C.	Illorum
107	4	Miniſtro.	Miniſtros
113	26	erant Vicarij	Vicarij
116	4	ſuccceſſionem	ſucceſſionem
126	15	ſurreptio	ſubreptio
		poteſt concedi vtroque modo;	
227	22	gratiam	gratia
134	6	apicen	apicem
135	1	valerent	valere,
155	9	execeſſu	exceſſu
186	7	debebat	debebit
145	13	ad pſum	ad ipſum
150	16	interrūpendū	interrumpēdam
152	25	aurix	autrix,
153	25	quarumq,	quaſcunq,
154	7	interrumpitur	interrūperetur
154	9	non	an
170	2	cōtra Collegiū	extra Collegiū
175	25	calcat	calet
176	21	Miniſter Prouincialis	Miniſtri Prouinciales
187	26	abbortet	abhorret
191	21	indigat	indicet
194	22	Bordeno	Bordono
218	1	aiſſerta	aſſerta
220	20	egregiè	egregiæ
223	22	& ſæpè	ex ſæpè
230	11	ſuis	fuit
253	25	celebrant	celebrabāt

iii

REVE-

REVERENDISSIMIS
ET ADMODVM RR. PP.
MINORITICI ORDINIS
OPTIMATIBVS, ET THESMOTHETHIS

Seraphici P.N. Franciſci veris Succeſſoribus, ac in Spiritu Sancto legitimè vocatis, & Congregatis pro Capitulo Generaliſſimo Romæ celebrando anno 1664.

F. DIONYSIVS A IANVA
REFORMATORVM MINOR.

S. P. D.

De Vicario Prouincialinoſtri Inſtituti, (Sapientiſſime Cætus, Patreſque conſcripti) in Miniſtrorum Vacantijs ſubrogato, Caſum, de mandato Summi Pontificis nuper Romæ deciſum, & iuxtà Minorum Iura, & leges, concluſum, vobis offero, & præſento, ac ante Veſtræ Sapientiæ Sacrum Tribunal humillimè ſiſto: Vt per ipſum intelligatis Ius Minoriticum fuiſſe quidem primò oppugnatum, ſed propugnatum; authoritatem agitatam, ſed non eneruatam; Superiorum Generalium arbitrium perturbatum, ſed non labefactum; Prouinciarum Iu-

ſtitiam

ſtitiam vulneratam; ſed non extinctam; Miniſtrorum Prouincialium neceſſitatem ſpretam, ſed non omninò deſpectam; & totius noſtri Ordinis inueteratam conſuetudinem ignoratam, ſed non oblitam: Immò tandem toto iuris, & rationis pondere hæc omnia librata, & dilucidata, cunctorum plauſu fuerunt, & ſtabilita, ac ad commune bonum intacta manere conſultum.

Quod eſt ergò Religionis; propugnaui, & defendi, non currens, ſed ſedens, vt meliùs negotium in otio, & otium in negotio ageretur. Tributum dicam veriùs, quàm munus; ipſumque minus virtute leue, quàm mole. Quod non potuit ingenium, & induſtria, ſupplet modo pietas, & obſequium. Dic nouè, non autem nouum, (inquit commune Adagium.) Ideò nouè dixi, quia non aliàs, à noſtris, ſic nouè animaduerſum, & obſeruatum. Hoc euulgatur, vt à Veſtra Summa Intelligentia diſcuſſum, & luculenter examinatum, haud minimi momenti ſit communi bono profuturum. Probetur ad lydium lapidem, quantum fuit ingenij, & doctrinæ meum talentum. Vobis, quibus competit Iura Ordinis cognoſcere, & interpretari, hæc omnia remitto; quaſque

leges

leges ipſi tuleritis, erunt obſeruandæ. Cenſoria etenim poteſtate, & corrigendi, & approbandi, prærogatiua iàm pollent hæc noſtræ Fraternitatis Generalia Comitia. Meum ad Iuſtitiæ veſtræ thronum ſollicitat recurſum, & cogit, mera libido dirimendi diſſidia, abuſus extirpandi, & dubia diſecandi, ſi quæ fortè in vèſtris naſcantur Filijs, vel Subditis: Sapientiſſimo Gazophilacio veſtro denariolum imitto: mea non pauet nihilitas, quia etſi deſint vires, poteſt tamen laudari ſtudioſa voluntas. Veritati, non eſt opus humanæ eloquentiæ condimentis: Non enim aliquid verum dicitur, quia eloquenter dicitur; nec eò falſum, quia incompoſitè enunciatur: Seù, non ideò verum, quia enunciatur, ſed quia probatur: nec ideo falſum, quia non eſt ſplendidus ſermo. Diuerſa, diuiſa, & diſperſa, collegi, & collecta magis explicando profudi, & in vnum congregaui. Non Authorem, ſed Tranſcriptorem meipſum fateor in hoc negotio, quippe qui ex ſcriptis ſcripta feci, & ex monumentis monumentum perfeci, nec tamen aliena me veſte contexi. Statuta, Leges, & Iura, ob argumenti ſimilitudinem enucleaui, expendi, & ſum rimatus; vt omnes penè difficultates circa Prouin-

uinciales Vicarios in Ordine noſtro, librentur deinceps, & diſſipentur; Immò ex his, in puram veritatem, quiſque ex noſtris allidat. Stylus, etſi non breuis, clarior tamen, ſiuè tutior expoſitio, diſtrictior, ac promptior, quàm quis exoptari vix queat. Si quæ dixi ſint aptè ne, vel ineptè, Iudicate. Si egeat remedio, quod diſputatur, perpendite. In hoc ſiquidem Congreſſu, Doctiſſimos, & Sanctiſſimos illos Heroes cerno rediuiuos, Bonauenturam, Bernardinum, Capiſtranum, Alenſem, Scotum, & alios innumeros, & ex corde gratulor. Nobis omnibus prouidete, vt debetis. Parcite ingenio, & paſcamini animo, quem gero adiuuandi, & multis morem gerendi. Datum Ianuæ in Conuentu noſtro S. Mariæ Pacis die 6. Maij 1664.

Ad

Ad eruditum Lectorem:

OPpoſità iuxtà ſe poſità magis eluceſcunt, (Benigniſſime Lector,) proindè ne mireris peropto, ſi expoſita pro vtraque parte exaraui, remque Controuerſam, & acriter actitatam retuli, & obtuli, prout iuſtitia, & veritas deciderunt, & non quia praualuerint potentia, & gratia, vt ſomniarunt aliqui; Et ideò Corripiet me Iuſtus, in miſericordia, & increpabit me, oleum aut peccatoris non impinguet Caput meum, *oro cum Pſalmiſta, Et malo à Correptore redargui, quàm à laudatore laudari. Verùm ſicut, & poſſum in hoc me decipere negotio, ita tuo Sapienti remittitur conſilio, vt iudices, an ex dictis probetur, quod aliàs prætendebatur; & ſi quis in hoc cæcutit Sole, Ellebero certè purgandus eſt, non rationibus: Nec audias (quæſo) quoſdam immeritò quæritantes, ac aperto marte buccinantes, eò quia ad antiquum Religionis vſum reſtringuntur; Quis enim prohibet, eodem paſſu debere gradiri noſtra ſæcula, quo antiqua? Satisfactum omnibus, ſi putem, fallor; paucis, & optimis ſat eſt: Expecto equidem nonnullos aduerſum me fore inſurrecturos, & tamen*

nullius

nullius nomen mea deſignatum eſt ſcriptura, neminem meus Sermo vllo pulſauit verbo; generalis diſputatio fuit: Qui mihi iraſci voluerit, priùs de ſe, quod talis ſit, confitebitur. Opportuna notaui Iura per extenſum, tum propria, tum Communia, nec Iurium, nec Doctorum, ex quibus deſumpſi, allegationes poſui, & vt lectio continuata eſſet, nec interrupta, tædiumque euitares, & laborem; & quia noſtra ſunt Iura, & domeſtica, Doctoreſque in claris non diſſentiunt, nec à deſertis montibus erunt conſulendi: Si repugnes, non ideo pharica ſpirabo animaduerſione vindictam; Non enim mihi videtur in præfectorijs acibus agere, ſed Eccleſiaſticè potiùs, & Regularis humilitatis officio deſeruire. Vale. Viue felix.

CASVS

CASVS SINCERVS.

GRAVITER ægrotante, immò verius in extremis laborante, menſe Octob. anni 1661. Reformatæ Prouinciæ P. E. Miniſtro Prouinciali infrà annum ſuæ electionis; dubitans P. D., an in caſu mortis ipſius, eſſet eligendus Vicarius Prouincialis iuxtà Ordinis Seraphici Statuta, an verò nouus Miniſter ſucceſſor ex præſcripto Breuis Vrbani Papæ VIII. quod incipit, *Creditum humilitatis, &c?* ſcripſit ad P. Vicarium Generalem Reformatum, tunc temporis Romæ Commorantem, ob abſentiam ab Italia Reuerendiſs. P. Miniſtri Generalis pro reſolutione dubij, qui quidem P. Vic Gen. inter alia, ſic reſcripſit præcisè. videlicet. §. *Non ſenza mio molto diſpiacere intendo il ſtato pericoloſo, in che ſi troua coteſto ſuo P. Prouinciale, ne manco raccomandarlo à Dio N.S. In caſo, che ſiegua la di lui morte, in conformità delli*

noſtri Statuti delle Riforme, douerà farſi dal Diffinitorio l'elettione del Vicario Prouinciale, perche, ſebene il Breue di Vrbano VIII. dice, che morendo il Prouinciale nel prim'anno del ſuo officio; Miniſter, tunc recens electus, ſeù deputatus, vna cùm dictæ Prouinciæ Superioribus, atque Officialibus, ſuis huiuſmodi Officijs ad triennium continuet, & continuare debeat; non lieua però l'obligo, che tiene il primo Padre di conuocare ſubito il Diffinitorio, & eleggere il Vicario Prouinciale, acciò che la Prouincia non reſti ſenza Superiore: E però vero, che il Superior Generale in vigore di detto Breue può mandare il Commiſſario Viſitatore, (e ſeruatis ſeruandis) far l'elettione del ſolo Prouinciale per continuare con gli altri Officiali tutt'il triennio cominciato, &c.

Per quæ verba idem P. D. acquieuit, nec electioni Vicarij Prouincialis ſe oppoſuit, vt cogitarat, credens deberi potiùs eligi Miniſtrum ex Vrbana Conſtitutione, quàm Vicarium, & per conſequens fore celebrandum Prouinciale Capitulum. Die verò 31. eiuſdem menſis Octobris hora tertia noctis ſequentis ante Matutinum Omnium Sanctorum, vita functo Prædicto P. Miniſtro, & ſepulto in mane diei ſecundæ Nouemb. in Veſperis poſtea à toto Definitorio nimis ſolemniter, & contra vſum ſimilium Vicariorum,

Pro-

Prouincialium (ne dicam de loco, & lectione præhabita quarundam Conſtitutionum tempore Capitulari debitarum,) ritè fuit, & Canonicè electus in Vicarium Prouincialem eiuſdem Prouinciæ P. B., proùt diſponunt Conſtitutiones generales Ordinis, & Reformationis, eidemque tradita, & conſignata ſigilla Prouinciæ, & confirmatus à Præſide ex abundantia cordis potiùs, & ex modica rerum experientia, & facti, quam ex aliquo præſcripto legis, quaſi hoc eſſet cautùm ſicùt in electione Miniſtri à Viſitatore.

Poſt hæc, tum Pater ipſe Vic. Prouincialis, tum aliqui ex electoribus, ad P. Vic. Generalem, qui Romæ ſe diſponebat ad Comitia Prouincialia Reformatorum Florentiæ celebranda, recurſum habuerunt, ipſum de noua ſui Vicariatus electione certiorantes, nouumque Capitulum Prouinciale in exequutionem Breuis iam citati, Statutorum Generalium, & ſui relati, ſimul poſtulantes, (vt taceam quicquid fuit item ex Curia Romana reſcriptum, quòd ijdem P.P. negotiauerint Breue pro ſubſtitutione Vicarij Prouincialis in Miniſtrum) quibus ſic ad litteram, reſpondit videlicet: §. *Già che Dio Noſtro Signore ſi è compiaciuto leuar à coteſta Prouincia il P. Miniſtro Prouinciale, che ſia in gloria, e di ſorrogare la P. V. al gouerno di eſſa, io non poſſo ſe non condolermi della perdita di quello, &*

alle-

allegrarmi dell'elettione dell'altro, da me in virtù della preſente con la benedittione del Signore approuata, e confirmata: Per quello poi ſpetta à deſtinar Padre per la celebratione del nuouo Capitolo ſarà da me preſa quella riſolutione, che ſarà giudicata di maggior ſeruitio di Dio Noſtro Signore, e di coteſta Prouincia: In tanto la P. V. m'accompagni con le ſue orationi nel viaggio ch'io nel preſente deuo fare verſo Firenze, & inſieme ſi preuaglia di me in ogni ſua occorrenza particolare, e commune della Prouincia, che me le offero di cuore. Roma 12. Nouem. 1661.

Interim penetratis huiuſmodi tractatibus ab alijs Patribus, & euidenter perpendentibus, prædictos tentaſſe noui celebrationem Capituli, ſiuè potiùs Miniſtri Prouincialis electionem, & hoc forſan poſtulari, non ſecundum omnimodam eligentium libertatem, ſiuè pro communi Prouinciæ pace, immò potiùs ad mentem, & votum dumtaxat paucorum, &, vt prædictum Vicarium Prouincialem iàm electum in Miniſtrum, mediante Capitulo, potiùs ſubrogarent, vt ita dicam, quàm eligerent, in contemptum aliorum, dignis de cauſis animum quorundam, & equè benè mouentibus; ſupplices, à Sanctiſs. DD. Papa Alexandro VII, obtinuerunt nouum Miniſtrum, & vnum ex pluribus propoſitis Patribus illius Partis, ex tribus conſtituenti-

bus

bus alternatiuam, & ex qua erat Miniſter defunctus; per tale emanatum, & publicatum Breue tenoris ſequentis. Videlicèt. *Dilecte Fili, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Religioſus zelus vitæ, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud nos fide digno commendaris teſtimonio, nos inducunt, vt te ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequamur; Cum itaque (ſicut accepimus,) vltimus Prouinciæ Ianueñ. Fratrum Minorum S. Franciſci Reformator. nuncupatorum Miniſter Prouincialis diem obierit extremum: Nos pro commiſſa Nobis cælitus Sacroſancti Apoſtolatus cura, proſpero, fælicique eiuſdem Prouinciæ regimini, & gubernio prouidere cupientes, ac de tua induſtria, integritate, & religioſo zelo plurimùm in Domino confiſi; teque à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione, noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Te memoratæ Prouinciæ Ianuen. Miniſtrum Prouincialem pro reſiduo temporis, ad quod prædictus vltimus Miniſter Prouincialis defunctus*

functus in Officio Prouincialatus Prouinciæ huiuſmodi durare debebat, cum omnibus, & ſingulis priuilegijs prærogatiuis, praeminentijs, facultatibus, authoritate, gratijs, indultis, ac honoribus, & oneribus ſolitis, & conſuetis, tenore præſentium creamus, facimus, ac conſtituimus, & deputamus. Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub indignationis noſtræ, alijſq; arbitrij noſtri pœnis, omnibus, & ſingulis dictæ Prouinciæ Superioribus, & fratribus, cæteriſque, ad quos ſpectat, & ſpectabit quomodolibet in futurum, vt te, ad demandatum tibi per præſentes Miniſtri Prouincialis Officium recipiant, & admittant, tibique in omnibus officium huiuſmodi concernentibus pareant, & obediant, faueantque, & aſſiſtant reſpectiuè. Ac decernentes eaſdem præſentes litteras firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac tibi pleniſſimè ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos, & cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & definiri, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, vel quauis firmitate alias roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, priuilegijs, quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in

con-

contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 3. Decembris 1661. Pontif. noſtri an. 7.

Dùm ergo hæc agitabantur, & P. Vicar. Gener. iàm Roma diſceſſiſſet, Florentiamque perueniſſet, ad replicatas inſtantias prædicti P. Vic. Prouincialis, & aliorum, tùm per litteras, tùm per nuntios PP., Definitorem vnum, Lectorem alterum, huiuſmodi remiſit reſcriptum ad vnguem, & propria manu exaratum; ſcilicèt,

§ *Nell'arriuo che hò fatto in Firenza hò trouato il P. C., & il P. Diffinitore, e P. Lettore mandati dal P. Vicario Prouinciale, dalli quali mi ſon ſtate rappreſentate l'inſtanze del medeſimo, circa la licenza di celebrare la Congregatione, come per eleggere il Prouinciale, & altre fontioni: la licenza glie l'hò conceſſa, e però potranno aualerſene. Il Commiſſario non hò per bene di mandarlo prima del mio ritorno in Roma, che ſpero ſarà alle feſte del Santiſſimo Natale, &c.*

Anxiè proindè Viſitatoris promiſſam prouiſionem à Viçar. Generali interim præfati PP. expectantes, ad propriam Prouinciam reuerſi ſunt prædicti nuntij, die 12. Decembris cum ſola licentia celebrandæ tantiſpèr Congregationis intermediæ, & ſpe futuri Capituli, vt patet ex littera modò dicta: Sed publicatum inuenere Alexandrinum Breue, die decima eiuſdem Menſis, & ab electione Vicarij Prouincialis triginta, & ſeptem diebus, & electum P. G. in Miniſtrum: Quod quidem factum ægrè, & indignè ferentes nonnulli,& Vicarius Prouin. præſertim, in appellationes prorupit, & in Apoſtolorum indebitas petitiones, & ſic realiter, & perſonaliter cum P. S. Romam petijt occultè vno ex ſigillis paruis Prouinciæ ſibi retento, ibique libellum ſupplicem verè falſum, ne dicam famoſum, per Procuratores, Sanctiſſimo DD. Papæ Alexandro expoſuit includentem inter alia, quæ ſequuntur, ad litteram: §. *E perche Beatiſs. Padre il ſudetto Breue laborat defectu intentionis per eſſerſi frandolentemente celato alla S. V. la ſudetta elettione già ſeguita canonicamente, & il ius queſito dell' eletto per la confirmatione legitima del Superiore. Supplicano gli Oratori humilmente la ſua immenſa pietà, e zelo, à degnarſi per quiete della ſudetta Prouincia di ordinare, che ſi prenda diligente informatione della*

ſuſſiſtenza

ſuſſiſtenza delle coſe eſpoſtegli, affinche conſtando da queſto il diffetto dell'intentione del Breue della S. V. il predetto Vicario Prou. eletto non rimanga ſenza ſua colpa priuato del ius queſito, contro la ſanta mente di V. Santità, e della regola de iur. quæſ. non toll.

Ideòque tale obtinuerunt decretum Pontificium: *Sanctiſſimus Dominus noſter mandauit moneri prædictos Fratres B. & S. nec non dictum Fratrem G. vt infrà viginti dies ab intimatione, contrarijs ordinationibus non obſtantibus compareant Romæ perſonaliter, vel per ſuos legitimos Procuratores, ad allegandum, & deducendum iura, ſi quæ ipſi Fratres, vel Prouincia habeat, vel habere prætendant, ſuper validitate huiuſmodi electionis in Vicarium Prouincialem, & deputationis in Miniſtrum; præcepitque Fratri N. Vicario Generali, vt curet hoc mandatum quàm primùm intimari ſupraſcriptis Fratribus, & de huiuſmodi intimatione authenticum habeat documentum Congregationi ſuper hoc negotio à Sanctitate Sua ſpecialiter deputatæ. Dat. Romæ die 25. Ianuarij 1662. Proſp. Fagnanus.*

Quod decretum à P. Vic. Gen. tranſmiſſum ad P. I. delegatum in Prouincia, præcepit per epiſtolas, vt partibus intimaret, relicta eiſdem copia. Ipſe verò P. Prouincialis ſuum conſtituit Procuratorem apud Illuſtriſ. DD. Deputatos in Romana Curia, ad reſpon-

ſpondendum, allegandum, & deducendum &c. Patrem I. A. Definitorem actualem, & apud A. R. P. Procur. Gen. Reformat. à ſecretis reſidentem; Patres autem S. & B. perſonaliter comparuerunt ad defendendum Vicariatus ius aſſertum quæſitum, ſperantes indè optimum ſuæ cauſæ finem, & reuocationem præfati Breuis Apoſtolici, ſi Aulica Pontificis, & Eminentiſſimorum Cardinalium limina continuò curſu frequentent, & terant.

Circa quod factum ſic deſcriptum ſincerè, quatuor ſunt præcipuè enucleanda.

Primò, quiſnam ſit punctus, & cardo difficultatis, immò intentionis Patrum Breui Apoſtolico ſe opponentium, tùm in iure, tùm in facto.

Secundò, rationes defendentes ius acquiſitum ipſius Vicariatus, & per conſequens Breue ipſum (& ſi motu proprio, ex certa ſcientia, matura deliberatione, & de plenitudine poteſtatis emanatum) eneruantes.

Tertiò, prænotabimus multa ex Ordine noſtro propria, pro adæquata reſponſione ad argumenta contraria.

Et vltimò reſpondebimus ad ſatietatem citando tàm in iure, quàm in facto quicquid cõcludendum ſit: Verum hoc genus diſputationis, & pugnę, citra iacturã Caritatis exercebo; & ne miremini; etiã in ipſis Beatis

men-

mentibus, Angelos dico; & quidem ſupremos, aliquid inter ſe pugnæ intercesſiſſe, & contentionis, ipſo Daniele Propheta c. 10. docente; recordor. Itaque non dura certamina, martis intendo, ſed pacatè procedam, cum ſit litteraria res potiùs, quàm Bellica. A Romanis hoc idem in Templo Pacis fuiſſe frequentatū, autumant hiſtorici: exulent ergo à nobis enſes, & pugiones, ſatis ſint atramenti tela; his dumtaxat pugnemus, nec alio fine certemus, quam veritatis, alium mihi campum ad Bellum non eligam, quam Pacis Templum; Hoc ex ambio: habet Mineruæ namque belli æquè, & Pacis inſignia:

Primò igitur; Punctus difficultatis, & cardo (meo videri) conſiſtit in præciſis verbis Oratorum Patrum in ſupplici libello poſitis, & ſuprà deſcriptis, Conſiſtit, inquam, in duplici obiectione: Prima, quia Breue ob non expoſitam Pontifici Maximo electionem Vicarij, ſit ſubreptitium, & obreptitium. Et ſecunda, quia eſt manutenendus in quaſi poſſeſſione ſui Iuris quæſiti ob defectum Pontificiæ intentionis, iuxtà Regulam Cancellariæ, de iure quæſito non tollendo, ſine ſpeciali derogatione illius.

Secundò: præmittitur breuiter hic diſcurſus ante rationes Partis, & Conſulta, vt appareat debilis eorum Patrum fiducia concepta ex ſuo itinere, vel ſal-

tem difficilis admiſſio eorum oppoſitionis, fundata in ſolo decreto Pontificio iam citato, ac ſimul conſtet deſiderium partis impugnatæ, vt quantociùs abſolueretur, quicquid de iure prætenditur, & ſimplici rei veritate inſpecta, breui manu diſcuterentur Iura Religionis præcisè, circa ſubiectam materiam: Qui diſcurſus talis eſt:

§. 1. *Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Domini. Reſpondendum eſſet primò, pro Miniſtro electo vigore prouiſionis Apoſtolicæ, quòd cùm Breue Sanctiſſimi habeat clauſulam ſublatam, cum decreto irritanti, claudit os partis, & Iudicis, ne valeat aliter iudicare.* Marta de clauſ. p. p. clauſ. 176. Rot. dec. 461. nu. p. per tot. p.p. & dec. 329. num.p. & 2. p. 4. recent. tom. 2. & in Reatina penſionis 4. Maij 1652. §. Non enim coram Zarate; & Romana. fideicom. de Victorijs 13. Ianuarij 1653. §. Præfatam. Coram Reuerendiſs. Veroſpio.

Nec Breue valet impugnari tanquam ſubreptitium ex eo, quod Pontifici non ſit facta mentio de Vicario Prouinciali per Definitorium electo, quia ſtante clauſula ſublata, & Decreto irritanti nequit dici de ſubreptione, antequam impetretur oris aperitio; Ad tradita per Rot. dicta dec. 339. num. 1. & 2. p. 4. rec. tom. 2. & dicta Reatina penſionis §. Non enim coram Zarate.

Nec apertitio oris valet deſumi ex reſcripto per aduerſarios obtento in memoriali per eos porrecto, quia vltrà, quod memorialia quamuis ſignata manu Sanctiſſimi, non tribuunt iuriſdictionem, niſi deſuper expediatur Commiſſio, vt fuit reſolutum à Rota dec. 8. n. 2. p. 4. rec. tom. p. *Dicimus etiam hic agi de aperitione oris, quam non inducit ſimplex memoriale, ſed neceſſaria eſt commiſſio obtenta in ſignatura gratiæ.* Ad plenè tradita per Marcheſ. p. 2. de commiſ. aper. oris. *Et per conſequens aduerſarij, donec eam impetrauerint, non ſunt pœnitus audiendi.*

Sed quicquid ſit de prædictis, hìc ceſſat ſubreptio, quia ſumus in gratia conceſſa, motu proprio, non autem ad poſtulationem partis, contra quam non habet locum ſubreptio, ex capite taciturnitatis, vt latè tradit. Marcheſ. p.p. cap. 8. de commiſſ. aper. oris nu. 76. & ſeq. ſecundam antiquam impreſſionem. Rot. dec. 228. num. 4. p.p. & dec. 353. num. 3. p. 4. rec. tom. 1. *Hæc enim eſt virtus motus proprij, vt non ſolum excludat vitium ſubreptionis, ſed etiam defectum intentionis,* Pariſ. conſ. 141. num. 2. vol. 4. Gabr. com. opin. tit. de clauſ. concl. p. col. 4. Puteus dec. 187. p.p. *Maximè perpenſis alijs clauſulis; ex certa ſcientia, matura deliberatione, & de plenitudine poteſtatis, quarum qualibet de per ſe apta eſt tollere vitium ſubreptionis* Oldrad.

 conſ.

conſ.287. Fælin. in cap. Nonnulli num.8. de reſcript. Pariſ. conſ.15. num.64. vol.2. Rot. dec.210. num.6. p.p. recen. *Multò magis ſimul vincta, ex Regula, quod ſi ſingula proſunt, ſimul vnita magis iuuant.*

Prædicta procedunt, quamuis in motu proprio adſit clauſula, ſicut accepimus, immò etiam, quod motus proprius ſit conceſſus ad inſtantiam partis, quia non attenditur petitio, ſed modus conceſſionis, vt excludatur defectus ſubreptionis, vt reiecta contraria ſententia de veriori teſtatur: Rota dec.656. num.p. cum duobus ſeq. p.2. rec.

Præterea ceſſat ſubreptio, etiam ex defectu intentionis, quia ſufficit, quod Papa potuerit cogitare in genere de eo, quod fuit tacitum, ad hoc quod taciturnitas impetrantis non influat vitium in conceſſione. Rot. dec. 38. num.3. & dec.210. num.5. p.p. & dec.57. nu.11. tom.2. & dec.608. num.16. p.4. rec. tom.3.

Hæc autem generica cognitio, ſeu præcogitatio hic non deeſt, quia cum Iura municipalia Religionis, per Summos Pontifices confirmata, mandent: ſtatim, mortuo Miniſtro, eligi Vicarium Prouincialem duraturum, donec legitime Capitulum congregatum, alium elegerit, ſequitur per neceſſe, quòd Papa de eo cogitauerit, ſaltem in genere, cùm habeat omnia Iura in ſcrinio pectoris. Ex Vulgat. *Et per conſequens, quòd ex ipſius taci-*

taciturnitate non oriatur ſubreptio, cùm ea non cadat in ijs, quæ ſunt iuris, vt in terminis Rot. dec.466. nu.2. & dec.506. num.2. p.p. rec.

Nec præiudicium poteſt deſumi ex eo, quod per talem prouiſionem auferatur ius Vicario quæſitum, cui Papa non cenſenſetur voluiſſe præiudicare, niſi expreſsè dixerit, quia cũ iſti Vicarij nõ ſint ad tempus certum, ſed prouiſionales, & amouibiles ad nutum Generalis, vel Capituli, nullum ius ex ipſo Vicariatu dicuntur acquirere, quod comprahendatur ſub regula, de iure quæſito non tollendo, quia non dicitur Ius quæſitum, quod eſt reſolubile per conditionem caſualem, vel poteſtatiuam, Ad text. in l.ſi ità ſcripſiſſet ff.de leg 2.Romana conſ.256. ſub num. 2. in fin. Rebuff. in l. cedere 213. ff. de verb. ſign. Grammat. conſ. ciuil.112. nu.11. cum alijs fusè relatis per adden. ad Roman. dict.conſ.256.lit.E & F.

Immò tantùm abeſt, quòd ei eſſet quæſitum aliquod ius, quin potiùs ſit dicendum ipſum, nec etiam habuiſſe ius quærendum in aliqua ſpe fundatum, vel radicatum, cùm iàm eſſet deſtinatum Capitulum, & immineret electio noui Miniſtri, vt ex litteris Vicarij Generalis ſupra allatis.

Conſequenter, ſicuti aduerſarius, prætextu dicti Iuris, non poſſet conqueri de Capitulo, ſi alium elegiſſet, cum ei competat Ius eligendi Miniſtrum, non obſtante

depu-

deputatione Vicarij, tum ex Breui Vrbani VIII. quod incipit: Creditum humilitatis, &c. *tum etiam ex Statuto Religionis; de anno* 1639. *ibi.* Is, qui mortuo Prouinciali Miniſtro in Vicarium Prouincialem fuit aſſumptus, vſque ad Capitulum Prouinciale in officio durabit; At verò Capitulum pro Superiorum Generalium arbitrio anticipari poterit, vel prorogari. *Ita non poteſt conquari de Summo Pontifice, quod alium elegerit, quia Papa in nihilo eum grauauit, & nil aliud egit, quàm preuenire Religionem, faciendo id, quod feciſſet Religio, quod vtique licuit, quia maior eſt poteſtas Pontificis, quàm Religionis.*

Tandem ceſſat omne debium, quia plurìes in caſu ſimili emanarunt ſimiles Motus proprij, abſq; vlla mentione Vicarij, illique plenarium effectum ſortiti fuerunt & ſignanter in Prouincia Corſicæ, vbi mortuo Miniſtro, & deputato Vicario, emanauit Breue, nulla facta mentione Vicarij; quæ obſeruantia debet attendi, & tanquam interpretatiua plurimum inſeruit ad excludendum Ius aduerſarij, & per conſequens ſubreptionem. l. p. & 2. C. quæ ſit long. conſuet. Gratian. cap. 158. num. 16. & ſeq. & alij paſſim.

Ex quibus certè ſic habitis, & multùm ad opponendum, vel ſaltem retardandum ſufficientibus, iàm patet nullam factam fuiſſe Patribus opponentibus oppoſitionem,

tionem, nec eidem Decreto Pontificis, ob ſummam ipſius Chriſti Vicarij reuerentiam debitam, immò ſine vlla contradictione conceſſum eſt eiſdem, omnia ſibi proficua, tàm in facto, quàm in iure exponere, Delegatiſque Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. D. præſentare, ad illorummet defenſionem, & omnimodam euictionem, vt infrà.

Conſultum Primum.

§. p. I*lluſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini. Vita functo die* 31. *Octob. proximè præteriti bonæ mem. P. E. dum viueret, Miniſtro Prouinciali, &c. nondum expleto primo ſui Officij anno, ad præſcriptum Conſtitutionum Generalium eiuſdem Ordinis, fuit die* 2. *Nouemb. ſubſequentis electus in Vicarium Prouincialem per ſchedulas (nemine proponente) cum omnibus ſuffragijs Definitorij P. B.; prout ex publico inſtrumento electionis ab omnibus vocalibus ſubſcripto, & in ſpecie ab ipſomet P. G. aduerſario.*

Huiuſmodi electio, tanquàm ritè, ac canonicè facta, ſpecialiter confirmata fuit, die 12. *eiuſdem menſis, per modernum Vicarium Generalem à S. D. N. deputatum, vti patet ex Epiſtola eiuſdem ab aduerſarijs præſentata.*

2 *Deindè cum præfatus P. B. noſter principalis exi-*

ſteret

ſteret in quieta, & pacifica prædicti officij poſſeſſione, nulla prædictorum facta mentione; ſub mendicato nomine Fratrum eiuſdem Prouinciæ, extorta fuit, die 3. Decembris ſubſequentis, deputatio præfati P. G. in Miniſtrum Prouincialem mediante Breui in forma motus proprij, cuius vigore idem P. B. fuerit die 10. eiuſdem menſis à quaſi poſſeſſione ſui officij deiectus, habito recurſu ad S. D. N., & commiſſa cauſa Illuſtriſ. & Reuerendiſ. DD. meis, ſperamus, ipſum noſtrum principalem manutenendum, & quatenus opus ſit, redintegrandum.

3. *Cùm enim controuerti non poſſit per ſupraſcriptā electionem plenè fuiſſe eidem ius quæſitum ad regendam Prouinciam vſque ad noui Capituli Prouincialis celebrationem, vt diſponunt ſtatuta Generalia Ordinis de anno 1639. ſuperiùs relata, clarè reſultat defectus intentionis S. D. N. in gratia aduerſarij poſteà extorta, quia nunquam præſumitur ſupremum Principem ius tertiò quæſitum voluiſſe tollere; immò nec coloratam illius poſſeſſionem turbare,* Ad text. in cap. cum noſtr. de conceſſ. præben. Rot. dec. 421. nu. 3. coram bo. mem. Burato, cum alijs concordan.

4 *Immò ad huiuſmodi effectum, non ſufficiunt clauſulæ motus proprij, ex certa ſcientia, & aliæ pregnantiſſimæ: Hæ enim, quandocunque agitur de præiudicio*

tertij,

tertij; præſumuntur extortæ ad ſuggeſtionem partis, & maximè attenta Reg.Cancell.de iure quæſito non tollen:, quæ præſeruat quodcunque ius tertio quæſitum, licèt minimum, & etiam in ſpecie, quando habet cauſam de præterito, vt tradit Sarnen. ad præfatam Reg. q. 4. nu. 14. in 2. caſu. *Et requirit expreſſam, atque indiuidualem derogationem, vt firmauit* Rot. in dec. 761. nu. 1. coram Card. Seraph. & in dicta dec. 421. num. 12. & ibi adden. num. 3. coram bon. mem. Burato.

5 *Quod eò libentius in præſenti admittendum videtur, ex quo gratia aduerſarij, vt ad oculum patet, ex ipſamet lectura Breuis ad fauorem aduerſarij, tota fundatur ſuper obitum defuncti Prouincialis, & quòd Prouincia egeret Rectore, qui eam gubernaret, quæ omnia cum ceſſaſſent, attenta præcedenti noſtri Principalis electione, ex hoc ſolùm defectus intentionis redditur manifeſtus, atque indubitatus; & propterea nil releuat motus proprius, vt firmauit* Rot. coram bo. me. Card. Seraph. cum alijs concordan.

6 *Non obſtat officium Vicarij Prouincialis eſſe manuale, & ad nutum amouibile, vt ex aduerſo prætenditur, quia hoc benè procedit in Vicarijs deputatis, aut ſimpliciter inſtitutis à Superiore in ſui ipſius locum, qui quidem Vicarij, ſeu, vt propriùs loquar, Commiſſarij, non eliguntur à Definitorio, vt ex aduersò falsè*

affirma-

affirmatur, *ſed deputantur à Miniſtro Prouinciali, cum Conſilio Definitorum, quando videlicet Prouincialis à Prouincia diſcedere debet, & ab ea abeſſe pluſquam per octo dies, vt videri poteſt* in Conſtitutionibus Generalibus Reformatorum de anno 1642. cap. 8. pag. 77. num. 36. *Vbi hæc formalia verba leguntur.* §. Vſcendo il Miniſtro fuori di Prouincia, e douendoui dimorare più di otto giorni, ſia obligato ad instituire vn Commiſſario in ſuo luogo con conſiglio del Diffinitorio: *In Vicarijs, & alijs Officialibus, qui Canonicè à Definitorio eliguntur, & à Superiore confirmantur, hoc non procedit: Iſti enim non ſunt amouibiles ad nutum ſuperiorum, ſed durare debent toto tempore à lege præſcripto, vt tradunt communiter Doctores* in cap. Monachi §. Priores de ſtat. Monach. *Et in ſpecie Vicarij Prouincialis non caſu electi diſponunt præfatæ Conſtitutiones Generales, anni 1639. in forma ſpecifica confirmatæ, ibi.* Vſque ad Capituli Prouincialis celebrationem in officio durabit. *ibi: Prout in ſimili de Vicario Generali electo per Definitores Generales, vnius duntaxat familiæ Ordinis Minorum in locum Miniſtri Generalis defuncti*, Conſtitutiones Generales Segobien. & Toletanæ tit. de inſtit. off. cap. 7. §. 14. *ibi*, Atque prædictus Vicarius Ordinis continuabit officium ſuum vſquè ad Capitulum Generale,

le, in quo ſexennium complendum erat illius Miniſtri Generalis, qui, vt prædictum eſt, vacauit. *Cùm enim huiuſmodi Vicarij per electionem legitimam à Definitoribus, tanquàm à Compromiſſarijs totius Prouinciæ factam, dicuntur ſubrogati in locum Prouincialis, vti habetur* in Conſtitutionibus Generalibus Refor. de anno 1642. cap. 8. pag. 77. num. 38. *vbi hæc formalia verba leguntur.* §. Morendo il Miniſtro nella Prouincia il Superiore del Conuento, doue ſarà morto, inſieme col Segretario del medeſimo Miniſtro, piglino tutte le ſcritture della Prouincia, e le portino al primo Padre di eſſa, quale ſenza dimora, conuocarà il Diffinitorio, e farà l'elettione del Vicario Prouinciale, in cui hauerà voto attiuo, e paſſiuo, conſultato prima il Generale, ſe ſarà nello ſpatio di tre giornate, altrimente nò, mà ſi proceda all'elettione ſenza aſpettare riſpoſta alcuna. *Et ſtatim loquendo de Miniſtro, qui moritur extrà Prouinciam, ſubiungit:* §. E morendo fuor di Prouincia, la gouerni il Commiſſario laſciato da eſſo fino à nuou'ordine del Superiore Generale. 8. *Vbi notādum, quod ſupraſcriptæ Conſtitutiones Generales, & peculiares Reformatorum, ne dum admittunt, quod electi Vicarij Prouinciales fieri debent per ſolos Definitores, tanquam per Compromiſſarios, ſed etiam faciunt magnam differentiam, quòd*

ad regimen Prouinciæ in morte Miniſtri inter Vicariū Prouincialem, qui eligitur à Definitorio per obitum Prouincialis demortui intra terminos Prouinciæ, & inter Commiſſarium ab ipſomet Miniſtro relictum, qui gubernare debet Prouinciam, vſque ad nouam ordinationem Generalis, caſu quo Miniſter moriatur extra terminos Prouinciæ: licèt enim ſupraſcriptæ Conſtitutiones, dum loquuntur de Vicario Prouinciali per Definitores electo in morte Prouincialis demortui infrà terminos Prouinciæ; non aſſignent tempus, quo præfatus Vicarius Prouinciam gubernare debet; eò, quia de hoc ſatis apertè loquuntur Conſtitutiones Generales Ordinis de anno 1639. & confirmatæ, & approbatæ in Generali Congregatione Romana anni 1642. in quibus conſt. cap.8. §. 40.num. 5. *Hæc formalia verba leguntur*. §. Is, qui mortuo Prouinciali, vel quolibet euentu in Vicarium Prouincialem fuit aſſumptus, vſque ad Capituli Prouincialis celebrationem in officio durabit. 9. *Propterea indubitatū eſt, quòd Vicarius Prouincialis à Definitorio electus ob mortē Miniſtri demortui intrà terminos Prouinciæ, non eſt amouibilis ad nutum Generalis, vti eſt amouibilis Commiſſarius, ſeu Vicarius deputatus à Miniſtro moriente extra Prouinciam. Vicarij enim à Definitorio electi, vt ſuperiùs dictum eſt, dicuntur ſubrogati in locum Prouincialis*

præ-

prædefuncti, quippe qui eos in omnibus repræſentant, & gaudent omnibus ipſorum priuilegijs, dummodo per duos annos integros in officio perſeuerent, vti habetur in ſupraſcriptis conſt. generalib. Romanis num. 4. *Per hæc verba.* §. Vicarij Prouinciales, qui per biennium completum in officio ſteterunt, Patrum Prouinciæ priuilegium, & præcedentiam habeant; *Quod quidem videtur conforme diſpoſitioni iuris communis propter vulgatam regulam, quod ſubrogatus ſapit naturam, & qualitates illius, cui ſubrogatur, & ſuccedit in omnibus illius iuribus, tàm actiuis, quàm paſſiuis ex vulgatis, &c.*

10 *Nec releuat huiuſmodi Vicarios Prouinciales durare debere vſque ad Capituli Prouincialis celebrationem; quæ cum anticipari, ſeu prorogari poſſit arbitrio Generalis; propterea in deputatione, de qua agitur, tanquam facta à S. D. N. loco celebrationis noui Capituli, ceſſet præiudicium noſtri principalis, vt ex aduerſo ſupponitur; etenim obiectum multipliciter remouetur, tum quia ex diſpoſitione Statutorum generalium Ordinis, & ex inueterata conſuetudine, de qua pleniſſimè teſtantur, ne dum Superiores Generales, ſed etiam principaliores Patres Ordinis, celebratio noui Capituli anticipari, ſeu poſtponi non poteſt, vltra tempus à lege præſcriptum, hoc eſt, niſi imminente triennij complemento; Tùm etiam quia falſiſſimum eſt deputationem aduerſarij emanaſſe loco celebrationis noui Capituli, &*

 electio-

electionis noui Prouincialis ad aliud triennium, cum re vera, vt ad litteram patet, ex Breui, emanauerit duntaxat in locum Prouincialis defuncti, & pro reſiduo temporis, quo idem in huiuſmodi Officio durare debebat; & propterea attento præiudicio noſtri principalis, defectus intentionis non poteſt ex ſupraſcriptis controuerti; & præſertim ſi attendatur Breue Vrbani 8. *emanatum anno* 1643. *pro Prouincia Reformata Ianuen. quod quidem Breue incipit,* Et iniuncto nobis Apoſtolici muneris debito: *In quo Breui præcipitur, quòd in poſterum futuris temporibus in Prou. Refor. Genua electio Miniſtri Prouincialis alternatim fiat ſingulo quoque triennio ex vna trium partium, quæ ipſam Prouinciam conſtituunt, quæ ſunt Ciuitas Ianuen., nec non Liguria Orientalis, & Occidentalis.*

11. *Nec obſtat denique, celebrationem alterius Capituli, & electionem noui Prouincialis in præſenti fieri debuiſſe, vt ex aduerſo ſupponitur, vigore Conſtit. Sanctæ Mem. Vrbani* 8. *de anno* 1625., *nec non ex Vigore Epiſtolæ Vicarij Generalis: ceſſat enim omnis ſcrupulus, non ſolum ex contraria obſeruantia, & conſuetudine, de qua pleniſſimè teſtantur, idem Vicarius Generalis, vna cum alijs Superioribus Generalibus, & principalioribus Patribus, verum etiam ex Lectura Conſt. Generalium anni* 1639. *per eundem Pontificem in forma ſpecifica confirmatarum. Hæc enim ad amputandas litium occaſiones, quæ ex diuerſis Prouinciarum conſuetudinibus,*

ac Conſtitutionibus oriebantur, ad litteram diſponunt, quòd mortuo Prouinciali Miniſtro, ſi Generalis, aut Commiſſarius Generalis intrà tres dies conſiſtant, conſulantur, & eorum reſponſio expectetur, ſi tamen longius abſint, ijs inconſultis, fiat Vicarij Prouincialis electio non obſtante Statuto in contrarium edito, & Vicarius Prouincialis hoc caſu electus vſque ad Capituli Prouincialis celebrationem in officio durabit. Quod etiam confirmant Statuta Generalia anni 1651. §. 7. tit. de Vicarijs Prouincialibus num. 3. *ibi*. Dignior verò Pater ſine dilatione vlla debet conuocare Patres, qui ſunt de Corpore Definitorij, & non alios ad Conuentum, qui ſit in corde Prouinciæ, vel ad illum in quo electio poſſit fieri celerius, reuocatis iàm, & denuò annullatis omnibus Conſtitutionibus, & Conſuetudinibus Prouincialibus, & Generalibus priſtinis. *Ex quo apertè colligitur prædictam Conſtitutionem S. M. Vrbani 8. vel fuiſſe reuocatam, vel locum habere duntaxàt, caſu, quo defuncto Prouinciali conſuleretur Generalis præſens in Prouincia, vel ſaltem conſiſtens infrà tres dietas, & de illius mandato procederetur ad illius conuocationem Capituli pro electione noui Miniſtri Prouincialis, quæ quidem conuocatio Capituli fieri non poteſt, niſi præſente Miniſtro, aut Vicario Generali, vel Commiſſario, illorum authoritatem habente, vt diſponunt quamplura Statuta Generalia, & præſertim Barchinonen. & Toletana* cap. 8. tit. de Capitulo Prouinciali. §. 3. *Non autem*

 caſu,

caſu, quo Canonicè deuentum eſſet ad electionem Vicarij Prouincialis, & eidem plenè ius quæſitum, vt in præſenti.

12 *Et huiuſmodi intellectio abſque aliqua difficultate videtur admittenda, non ſolum ex obſeruantia inueterata, quæ eſt aliarum interpretationum Regina, & ad euitandam contrarietatem, & repugnantiam inter prædictas conſtitutiones, verum etiam quia præfata Conſtitutio Vrbani VIII. nullo modo diſponit, eſſe faciendam electionem noui Miniſtri Prouincialis in locum prædefuncti, ſed duntaxat declarat, quòd ſi cedente, aut decedente primo ſui Officij anno Miniſtro Prouinciali, alter eligatur, aut deputetur, is continuare debeat cum Definitoribus, & alijs Officialibus, vſq; ad complementum triennij, quo continuare debebat Miniſter Prouincialis defunctus, quod non infert neceſſitatem noui Capituli ante complementum triennij prædicti Prouincialis defuncti pro electione noui Prouincialis, vt ex aduerſo erroneè ſupponitur; lex enim, aut Conſtitutio aliquid præſupponens, illud non diſponit, ex Vulgatis.*

13 *Et quia ex aduerſo dicitur, quòd Statuta Generalia ſuperius in fauorem noſtri principalis adducta, non faciunt pro Reformatis, reſpondetur, quod hoc eſt verum in his, quæ ſunt contraria Conſtitutionibus Generalibus Reformatorum, ſicuti in his, quæ ſunt relaxatiua, non autem in his, quæ non contrariantur reformationi. Quinimmo ipſamet Conſtitutiones peculiares*

Refor-

Reformatorum de anno 1642. *volunt, quòd in rebus dubijs; & in his, quæ aliquam continent obſcuritatem, recurrẽdum ſit ad Conſtitutiones Generales Ordinis. Ità habetur in Conſtitutionibus ſupradictis Reformatorum* cap.7. pag.62.num.3. *Vbi loquendo de pœnis infligendis delinquentibus, ſic habetur.* §. Per caſtigo de' ſudetti peccati, quando ſiano dedotti al foro contentioſo, ſi rimettiamo alli Statuti Generali dell' Ordine, quali ſi oſſeruaranno inuiolabilmente in queſta parte, & in ogn'altro caſo non eſpreſſo in queſti Statuti, e non repugnanti alla noſtra Riformata Oſſeruanza. *Et cap.* 12. *pag.* 93. *num.* 3. *ſic etiam habetur.* §. Perche in caſi à ciò non repugnanti vogliamo, che ſi ricorra alli Statuti Generali dell'Ordine. *Vnde manifeſtè apparet, quòd circa caſum noſtrum poſſumus, immò debemus ad Statuta Generalia Ordinis recurrere, quæ ex aduerſo refutantur.*

14 *Exemplum ab Aduerſarijs prætenſum deputationis Prouincialis in Prouincia Reformata Corſicæ, non merebatur allegari, tùm quia non iuſtificatur cum circunſtantijs requiſitis, & longè quàmplura adduci poſſent in contrarium, tum etiam, quia praxis inueterata Religionis ex teſtimonio Superiorum Generalium, ac principaliorum Patrum Ordinis ſuperius relato, & Conſtitutiones Generales anni* 1639. *in forma ſpecifica confirmatæ cum clauſula ſublata, & decreto irritanti, tollunt in hac materia omnem dubitationem.*

15 *Et quia in quadam ſcriptura ex aduerſo adducta gratis affirmatur, quod Capitulum Generale vltimatè Toleti celebratum ordinauit, quòd in paucis illis Statutis in eodem Capitulo factis inſeri deberent nonnulla Sacrarum Congregationum Decreta vnà cùm Breue Vrbani 8. de anno 1625. Et quòd propterea huiuſmodi Breue eſt obſeruandum, reſpondetur eſſe alienum à veritate, quòd Capitulum Generale, ordinauerit tale quid; ſed ideo ſupraſcriptum Breue, ſicut, & alia decreta fuerunt in paucis illis Statutis inſerta, ne volumen appareret adeò paruulum; & ità teſtari poteſt P. A. ab A. iàm Vic. Gen. Refor. cuius opera, & conſilio, id factum fuit. Quare, &c.*

Secundum Conſultum.

§. 1. *Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Domini. Controuerti non poteſt per electionem Canonicè factam R. P. B. in Vicarium Prouincialem cum ſubſecuta confirmatione ſuperioris à S. D. N. deputati fuiſſe plenarium ius eidem quaſitum ad regendam Prouinciam pro reſiduo temporis, quo Miniſter Prouincialis defunctus in officio durare debebat, hoc eſt, vſque ad noui Capituli celebrationem. Etenim Statuta Generalia Ordinis de anno 1639. per S. M. Vrbanum 8. in forma ſpecifica confirmata, hoc ad litteram diſponunt, ibi.* Is, qui mortuo Prouinciali Miniſtro, vel quolibet euentu vacante, in Vicarium Prouincialem fuit aſſumptus, vſque

vſque ad Capituli Prouincialis celebrationem in officio durabit. At verò Capitulum pro Superiorum Generalium arbitrio, anticipari poterit, vel prorogari dummodo tempus à lege præſcriptum non excedatur.

2 *Tempus autem ad celebrationem huiuſmodi Capitulorum præſcriptum, eſſe triennium poſt electionem præcedentem Miniſtri Prouincialis, & aliorum officialium eſt notorium, atque indubitatum, etenim cuncta officia Ordinis Minorum, excepto Generalatu, ſunt triennalia, vt præter Conſtitutiones Leonis X. Pauli IV. de anno* 1559, *& Clementis VIII. expreſsè diſponunt complura Statuta Generalia, & præſertim Turonenſia de anno* 1503. *ibi.* §. Ordinat, & ſtatuit Generale Capitulum, quòd omnia, & ſingula officia regiminis trium Ordinum Beatiſs. P. N. Franciſci de cætero ſint triennalia.

Quod etiam confirmant Conſtitutiones Generales Barchinonenſes, & Toletanæ cap. 7. tit. de elect. & inſtitut. §. 7. *ibi.* §. Omnes Miniſtri ante ſex menſes ſuæ vocaturæ teneantur Prælatos Generales certiores facere de die, in qua triennium ſuum expletur, vt poſſint commodiùs de illius Prouinciæ Viſitatore deliberare. Et cap. 8. tit. de cap. Prou. §. 3. *ibi.* §. Abſoluto triennio Miniſtri Prouincialis infallibiliter eſt celebrandum Capitulum Prouinciale, & ſi aliter Capitulum celebretur irritum ſit, & inane. *Et ità in praxi teſtantur omnes ſcriptores eiuſdem ordinis, & in ſpecie* Rodriquez

 quæſt.

queſt. Reg. tom. 1. q. 41. art. 1. & tom. 2. q. 52. art. 2. Turan. in comp. tit. de Miniſt. Prou. nu. 7. verſ. Prætereà: P. Sanctor. Melphien. ad Stat. & Conſt. gener. Ord. Min. ſtatut. c. 8. 65. *vbi in ſpecie tradit*, quòd ſi Miniſter Generalis ante tempus præſcriptum mitteret Commiſſarium pro celebratione Capituli, electus, poſſet conquæri, & petere in integrum reſtitui.

His itaque præmiſſis; hæſitari non poteſt deputationem aduerſarij in Miniſtrum Prouincialem pro reſiduo temporis, quo defunctus Miniſter in huiuſmodi officio durare debebat, hoc eſt vſque ad noui Capituli celebrationem, præiudicare non poſſe iuri quæſito ad eundem effectum noſtro principali propter defectum intentionis S. D. N., quo nullus maius perimit gratias Principum, vt ponderauit; Rot. in deciſ. 846. num. 7. coram bo. me. Merlino, cum alijs Vulgatis.

3 *Defectus autem intentionis eſt duplici ratione patens, atque indubitatus.*

Primò, quia, cum noſtro principali per electionem ſupradictam eſſet ius quæſitum ad regendam Prouinciam pro reſiduo triennij Prouincialis defuncti, neceſſariò ſequitur per deputationem aduerſarij pro eodemmet tempore poſtea extortam, non fuiſſe iuri, ac poſſeſſioni noſtri principalis in aliquo præiudicatum, quia non præſumitur iuſtiſſimum, & ſanctiſſimum Principem, cuius ſuprema potentia bonitas, & voluntas iuſtitia reputatur, cuiuſuis ius, aut poſſeſſionem velle turbare, vt ad litte-

ram

ram decidit text. in cap. cum noſtris, de conceſſ. præben. *& ibi* Add. num. 7. *Et in terminis gratiæ Apoſtolicæ etiàm motu proprio factæ, poſt collationem ordinarij pluries firmauit* Rot. & præſertim in deciſ. 318. nu. 7. coram bo. me. Merlino, & in deciſ. 421. num. 1. & 2. coram bo. me. Burato. *Et in puncto, quod Iuri quæſito in re per electionem, Papa non cenſeatur derogare, tradit* Sernen. ad Reg. Cancell. de Iure quæſito non tol. in 2. q. & ibidem Rebuff. num. 11. *Hoc enim caſu præſumitur, Principem fuiſſe malè informatum, aut circumuentum, litteraſque in forma, motus proprij, emanaſſe ad ſuggeſtionem partis*, dec. in cap. cum omnes in 2. lectura num. 10. de Conſt. DD. communiter in cap. Cæterum de reſcript. cum alijs per Rot. deciſ. 4. nu. 2. & 15. p. 8. recent.

Secundò; quia gratia aduerſarij totaliter fundatur ſuper obitu præteriti Miniſtri Prouincialis, & quòd Prouincia viduata capite egeret Prælato, qui eamloco Prouincialis defuncti regeret, ac gubernaret, vt ad oculum patet ex lectura Breuis, ibi. §. Cum itaque, ſicut accepimus, vltimus Prouinciæ Ianuen. Miniſter Prouincialis diem obierit extremum, &c. Nos pro commiſſa, &c. proſpero, fœlicique Regimini, & gubernio eiuſdem Prouinciæ prouidere cupientes: &c.

Quòd omninò ceſſat, cum per electionem prædictam noſtri principalis, iàm fuerit ijs omnibus exuberanter prouiſum, & propterea, ex hoc etiam Capite manifeſta

elicitur

elicitur ſubreptio, ac defectus intentionis, ex quo Papa contulit, cum ſuppoſito vacationis, & quod tertius in ſua poſſeſſione non moleſtaretur, vt in ſimili ponderauit Rot. in prædicta dec. 318. num. 7. in fine.

4 *Non obſtat noſtro principali fuiſſe duntaxat ius quæſitum, vſque ad noui Prouincialis electionem in Capitulo Prouinciali faciendam, & quod cum hæc anticipari, vel prorogari potuerit arbitrio Generalis, propterea nullum poſſit conſiderari præiudicium ex gratia aduerſarij, vt gratis ex aduerſo ſupponitur, etenim huic obiecto multipliciter reſpondetur.*

5 *Primò; quod nullo modo ſubſiſtit Capituli Prouincialis anticipationem, aut prorogationem pendere à mera voluntate, & arbitrio Miniſtri Generalis, cum enim Capitula, vt eſt notorium, tum ex clara diſpoſitione Conſtitutionum Ordinis, tùm etiam ex inueterata conſuetudine, non debeant conuocari pro ſola Miniſtri Prouincialis electione, ſed etiam Cuſtodis, Definitorum, & aliorum Officialium, perneceſſe ſequitur, hoc fieri non poſſe, niſi imminente complemento triennij, vt colligitur ex Statutis Generalibus ſuperiùs relatis, & ad litteram declarauit Capitulum Generale Turonenſe circa triennalitatem officiorum ſuperius allegatum; ibi.* § Non intelligitur autem ità præcisè huiuſmodi triennium, quin poſſit per menſem, & per menſes prorogari, & abbreuiari, ſecundum, quod Capitula Prouincialia accelerantur, vel protrahuntur. *Et teſtantur*

tur omnes ſcriptores Ordinis Minor. & in ſpecie Rodriq. q. Reg. tom. 2. dicta q. 52. art. 2. verſ. ſecundo eſt aduertendum. Collect. Priuil. Mendic. tit. offi. ord. §. 2. & ibi Add. Capuc. P. Sanctor. ad Stat. & Conſtit. Ord. Min. loco ſuperius citato, *vbi in ſpecie tradit, quod ſi Miniſter Generalis hoc acceleraret ante complementum triennij, faceret iniuriam, & electus poſſet conquari, idemquè ad litteram diſponunt* Conſt. Generales. anni 1639. *ſuperiùs relatæ, ibi*, §. At verò Capitulum pro Superiorum Generalium arbitrio anticipari poterit, vel prorogari, dummodo tempus à lege præſcriptum non excedatur. 6. *Etenim clauſula illa* dummodò *referenda eſt, tàm ad accelerationem, quàm ad prorogationem, tum ex Vulgata Regula, quod vnica determinatio reſpiciens plura determinabilia debet eadem pariformiter determinare, ex Vulgatis, Tum etiam; quia regulariter prædicta clauſula, quando inter diſpoſita non adeſt particularis prouiſio regulat, & determinat, æqualiter omnia præcedentia*, Ad text. in l. ita tamen. ff. ad Trebel. l. vbi adhuc. verſ. Ita tamen. C. de iur. dot. cum alijs concordant.

7 *Secundo: admiſſo ſine præiudicio, quod celebratio Capitulorum totaliter penderet à voluntate, & libero arbitrio Miniſtri Generalis, adhuc euidenti ratione corruit obiectum, etenim controuerti non poteſt, quòd deputatio aduerſarij non emanauit loco nouæ electionis faciendæ in ſequenti Capitulo pro futuro triennio, ſed*

loco

loco ſubrogationis in ius, & poſſeſſionem defuncti Prouincialis vſque ad ſequens Capitulum, vt ad oculum patet ex Breui, ibi; §. Te memoratæ Prouinciæ Ianuen. Miniſtrum Prouincialem pro reſiduo temporis, ad quod præfatus vltimus Miniſter in officio Prouincialatus Prouinciæ huiuſmodi durare debebat. *Quo tempore cum per Canonicam electionem noſtri Principalis iàm fuerit eidẽ ad hunc effectum legitimè ius quaſitum, defectus intentionis eſt patens, atque ineuitabilis, ex ſuperius allegatis.*

8 *Tertio: eſto millies illæſa veritate, quod deputatio aduerſarij emanauerit loco electionis noui Prouincialis in futuro Capitulo faciendæ, vt ex aduerſo, non ſolum abſque vllo fundamento, ſed etiam contra expreſſum tenorem Breuis ſupponitur, ſupplicamus animaduerti, quod cum in proximo Capitulo nouus Miniſter eligendus eſſet ad futurum triennium ex Ciuitate Ianuen., non autem ex ora Occidentali patria Aduerſarij, iuxtà alternatiuam ſeruandam in electione Prouincialis, & aliorum Officialium vigore tranſactionis S. M. Vrbani VIII. Propterea ex hoc etiam capite gratia corrueret, vnde quò ſe vertat, aduerſarius non poteſt euitare defectum intentionis, & ſubreptionem.*

9 *Nec ſubſiſtit, huiuſmodi Vicarios non habere ius fixum, aut radicatum, ſed manuale, & ad nutum amouibile, vt ex aduerſo prætenditur, etenim reſpondetur, hoc procedere in ijs duntaxat Vicarijs, qui à Capitulo*

non

non eliguntur, ſed per Superiorem tantùm deputantur, in quibus terminis loquuntur DD. ex aduerſo allegati, non autem in Vicarijs, & alijs Officialibus qui per Canonicam electionem aſſumuntur, & à Superiore confirmantur. Hi enim non dicuntur obedientiarij, & manuales, ſed durare debent tempore à lege præſcripto, quod regulariter eſt triennale, quo pendente ſine legitima cauſa non poſsent admoueri; vt probat Text. in cap. Monachi, §. Priores de Stat. Monach. & eruditiſſimè more ſuo docet Illuſtriſs. D. meus Fagnanus in cap. Tuas. il primo, num. 8. & 9. de Simon. *Et in ſpecie de huiuſmodi Vicarijs, tàm Generalibus, quàm Prouincialibus, à Definitorio electis, & à Superiore confirmatis tradit* P. Lezan. q. Reg. tom. 2. cap. 13. num. 16. & 17. iuncto num. 27. Rodriq. Mirand. & alij nouiſſimè cumulati per Anton. à Spiritu Sancto in direct. Regular. tract. 4. diſp. 5. ſect. 2. tit. de regim. Prælat. Regul. num. 73.

10 *Minuſque releuat ad electionem noſtri principalis fuiſſe deuentum cum ſuppoſito, quod nullum ius eidem quæreretur, quominus poſteà non eſſet celebrandum Capitulum pro electione noui Principalis ad nutum Superioris Generalis, vt ex aduersò ſupponitur, contrarium enim apparet, tum ex Lectura Decreti electionis, quæ habet expreſſam relationem ad Conſtitutiones Generales Ord. ſuperiùs relatas, tum etiam ex Epiſtola Vicarij Generalis, ex aduerſo allegata: Hæc enim,*

nec

nec per ſomnium poſt electionem Vicarij Prouincialis eſſe celebrandum Capitulum ad nutum Miniſtri Generalis, vt ex aduerſo prætenditur, ſed cum modificatione ibi, ſeruatis ſeruandis, *hoc eſt conſentiente Vicario Prouinciali electo, cui fuerat ius quæſitum, vt patet ex atteſtatione Vicarij Generalis, & aliorum Superiorum Generalium, quibus non eſt dubium, eſſe pleniſſimè deferendum propter experientiam, & integritatem,* ex Vulgatis.

11 *Nec aduerſatur Conſtitutio S. M. Vrbani 8.; Etenim omiſſo, quod eadem emanauit in terminis Statutorum Generalium antiquorum, & præſertim Barchinonen. quæ cap. 7. tit. de Commiſſ. Prouinc. expreſſè permittebant, vt defuncto Miniſtro Prouinciali obſeruaretur conſuetudo vniuſcuiuſque Prouinciæ pro ipſius regimine, vſque ad electionem noui Prouincialis; duntaxat declarat, quod cedente, aut decedente Miniſtro Prou. primo ſui Officij anno, ſi alter fuerit illius loco electus, aut deputatus, continuare debeat cum reliquis Officialibus vſque ad triennium, non autem vllo modo diſponit, quod de neceſſitate ſit facienda electio noui Prouincialis pro reſiduo temporis prædicti; Lex enim non dicitur diſponere id quod ſimpliciter præſupponit,* l. ex facto, la prima, ff. de hæred. inſtit. Surd. dec. 195. nu. 8. cum alijs per Rot. in dec. 208. num. primo, & ibi Add. num. 7. coràm Sanct. M. Greg. XV.

12 *Præterea ceſſat omnis ſcrupulus, ex quo per Conſtitutiones Generales anni* 1639. *ſuperius relatas, expreſſè*

expreſsè reuocantur Statuta generalia antiqua, & conſuetudines particulares Prouinciæ, vt expreſsè diſponitur; mortuo Prouinciali, eſſe ſine dilatione faciendam electionem Vicarij Prouincialis; & illius officium durare debere vſque ad futurum Capitulum, hoc eſt vſque ad complementum triennij ex ſupradeductis, quod omninò excludit electionem noui Prouincialis fieri poſſe ante lapſum huiuſmodi temporis à lege præſcripti, vt declarauit obſeruantia inconcuſſa Religionis, de qua cum pleniſſime teſtentur ambo Vicarij Generales vtriuſque Familiæ, nec non Procurator Generalis, & Commiſſarius Generalis Curiæ, ceſſat omnis anſa dubitandi, ex quo interpretatio, quæ ſumitur ex obſeruantia tanquam aliarum Regina, omnibus præfertur. Rot. deciſ.944. num.6. coram bo. me. Burat. & dec.184. num.8. coram S. M. Greg. XV. cum alijs in dec.165. num.2. coram Emin. Octobono.

13 *Denique non obſtat quod Sanctiſſimus potuerit ſaltem in genere cogitare de præcedenti electione noſtri principalis, & propterea ceſſet ſubreptio, etenim omiſſo, quod contrarium apparet ex lectura Breuis, ceſſat obiectum, quia etiamſi Papa intellexerit præiudicium, Regula Cancellariæ requirit expreſſam, atque indiuidualem derogationem, non obſtante clauſula motus proprij, & alijs prægnatiſſimis, vt ad litteram diſponitur in eadem regula, & in puncto firmauit* Rota in dec.198. nu.1. & 2. cum ſeqq. coram bo. me. Card.

Millino,

Millino, & latiſſimè exornat Illuſtriſs. D. meus Fagnanus in cap. Cæterum. num. 17. & 18. cum pluribus ſeqq. & in cap. Cauſam quæ. num. 35. de reſcriptis. *Vbicunque enim datur læſio, intrat defectus intentionis Principis, vt in fortioribus terminis firmauit* Rot. in Aſſiſſien. oblationem 23. April. 1660. §. non obſtat. coram Albergato.

14 *Exempla Prouinciæ Corſicæ, & forſan alia, quæ ex aduerſo exagerantur, non egent reſponſione, tum quia in facto non iuſtificantur cum debitis circunſtantijs, tum etiam, quia legibus, non autem exemplis, eſt iudicandum: multa enim per patientiam tolerantur, quæ ſi in iudicio deducta fuiſſent, &c. Quare &c.*

Conſultum Tertium.

§. 1. I*Lluſtriſs. & Reuerendiſs. Domini. Punctus eſt, an electio, quam mortuo Prouinciali facit Capitulum de Vicario, importet ſolum prouiſionem, donec arbitrio Generalis fiat conuocatio Capituli pro nouo Prouinciali eligendo, vel potius veram ſubrogationem huius Vicarij in ius, & locum demortui, ita vt dicatur Prouinciæ Prælatus duraturus vſque ad illud tempus, quo durare debuiſſet defunctus, in cuius locum eſt ſuffectus, ſi enim eſſet iuxtà primam ſpeciem, intrarent ex aduerſo deducta, quia non Prælatus, neque ius habet in officio.*

2 *Si*

2 *Si verò eſt iuxtà ſecundam, quod videtur omninò verius, manifeſta eſt ſubreptio; & nullitas deputationis obtentæ à Sanctiſſimo per Patrem G. aduerſarium ob defectum intentionis, quia licet Papa volens poſſit præuenire quemcunque Ordinarium, & inferiorem Collatorem, ac etiam ius alteri quæſitum tollere remouendo electum, & alium deputando, non tamen ſolet; & niſi ſciens ipſe diſponat, dicitur deficere voluntas, ac propterea ex defectu voluntatis gratia remanet inualida, cum non cenſeatur Papam tanquam iuſtiſſimum Principem velle prouidere de Officio, vel beneficio pleno Iure alteri iàm collato, vt ad litteram diſponunt Canones* in cap. Dudum. §. non igitur. Et in cap. ſi à Sede de præben. in C. 6. ſi plures §. Porrò de off. de leg. in 6. Gonzal. ad Reg. 8. §. 3. prohem. nu. 1. cum ſeqq. Lotter de benef. lib. 2. q. 23. num. 1. cum ſeqq. ac ita clarè diſponit Reg. de iure quæſito non tollendo. *Per quam Papa proteſtatur per eius gratias, & prouiſiones, intentionem non habere tollendi ius tertij; niſi per expreſſum dicat, dictæque Regulæ deroget, vt in ea diſponitur ad litteram; eamque latè exornat* Reuerendiſs. D. meus Fagnanus in cap. Cæterum de reſcript. num. 17. cum ſeq. vbi num. 22. ampliat, & ſi agatur de gratia motu proprio. Et in cap. Cauſam quę. num. 35. eod. tit. Seraph. deciſ. 1082. Burat. dec. 576. num. 6. vbi adden. & omnes paſſim; *Vnde totus punctus eſt, an Vicarius ità per Definitorium electus, dicatur*

dicatur habere ius in officio, itaut abſque eligentium, & electi iniuria remoueri non valeat.

3 *Ad hæc dignoſcenda, & tollenda æquiuoca, obſeruare placeat in hac Religione duplicem Vicariorum ſpeciem haberi. Vna eſt illorum, qui per Prælatos viuentes, & præſentes, precariò deputantur pro eorum adiutorio ſuppleturi aliquas eorum partes, quibus ipſi incumbere non poſſunt, ſiue etiam in caſu modicæ abſentiæ, & iſti non dicuntur Prælati, neque aliquod ius habent in Officio, ſed ad deputantis nutum ſunt admouibiles, vt in puncto Vicarij Prouincialis, quod non dicatur ille, qui per prouiſionem præſentem in quadam parte adminiſtratoris deputatur, nec Prouincialis vicesgerat, benè* Pater Paſſarinus in tract. de elect. c. 25. q. 20. num. 220. *Quodque huiuſmodi Vicarij temporales, ità precariò deputati non ſint cenſendi Vicarij, firmant* Abbas in cap. Generalis perpetuus. num. 1. de fide inſtrum. vbi Butr. & Cæteri per Reuerendiſſ. Fagnanum ibidem num. 5. ac de iſta Officialium ſpecie loquitur Maſtrill. ex alleg. de magiſtr. lib. 1. cap. 27. *quia ſunt precarij.*

4 *Altera eſt ſpecies Vicarij, qui mortuo Prelato in iſtius locum, & vicem, in omnibus ſubrogatur cum eadem Iuriſdictione, & poteſtate, ità vt Prouinciæ Præfectus, & caput, independens dicatur, in aliquo non differens à defuncto, niſi in nuncupatione, & iſte dicitur Prælatus, & Ordinarius Prouinciæ, ac dicitur*

habere

habere ius in officio. Paſſarinus dicto cap. 25. q.20. *ac in iure habemus hanc differentiam inter Eccleſiarum Parochialium Vicarios perpetuos, & temporales, de qua* Fagnanus dict. cap. G. perpetuus. num. 2. cum ſeqq. *Et in hac ſecunda ſpecie nos verſamur, non autem in prima, itaut æquiuocum obſtare potius dicatur parti aduerſæ.*

5 *Conſtat euidenter, quia Vicarius, qui per Miniſtrum Prouincialem viuentem deputatur, non indiget confirmatione Generalis, iſte verò, qui eligitur per Definitorium, confirmandus eſt à Generali tanquam electus eodem modo, quo confirmari debet Miniſter Prouincialis electus à votis Capituli. Item quia Vicarius manualiter, vt ſuprà deputatus à Prouinciali, non gaudet honoribus, & prærogatiuis, quibus durante, vel expleto officio, gaudent Prouinciales, iſte autem Vicarius eiſdem gaudet in omnibus, niſi contingat ſui Officij exercitium modico tempore durare; prout ille deputatur ſolum à Superiore, hic autem eligitur per Definitorium, quod totam Prouinciam, eiuſque Capitulum repræſentat. 6. Ità vt eueniente caſu mortis Prouincialis poteſtas Capituli, quoad electionem actiuam dicatur transfuſa in Definitorium, quod totam Prouinciam repræſentat. 7. Poteſtas verò quoad electionem paſſiuam tranſeat in Vicarium electum, qui reuera in alio non differt à Prouinciali, niſi quoad nomen, eodem modo, quo habetur in ipſomet Generali eligendo per vniuer-*

ſam Religionem in Capitulo Generali; quia moriente, in Diffinitorium Generale dicitur transfuſa tota poteſtas, & ab eo eligitur Vicarius Generalis, dicitur electus, & ſubrogatus, in locum Miniſtri Generalis in omnibus, vt noſtris temporibus vidimus practicatum in hac eadem Religione, dum ob mortem bo. mem. P. Io: de Neapol. antiqua familiaritate mihi coniunctiſſimi, per Definitorium electus fuit Vicarius Generalis P. Dongus, qui partes Generalis in omnibus explenit.

8 Gratis autem ex aduerſo ſupponitur, huiuſmodi Vicarium à Definitorio electum, durare debere in officio vſque ad Capitulum Prouinciale ad libitum Generalis conuocandum pro electione noui Miniſtri Prouincialis, vndè propterea infertur eſſe deputationem prouiſionalem, quæ non tribuit ius. Hoc enim ſuppoſitum omninò negatur, quia per Statuta Religionis edita de anno 1 6 3 9., & per Sanct. Mem. Vrbano VIII confirmata, expreſsè diſponitur huiuſmodi Vicarium debere durare in Officio vſque ad celebrationem Capituli Prouincialis. Nil obſtante, quod ibidem dicatur Capitulum hoc pro Superiorum arbitrio anticipari, vel prorogari poſſe, in quibus verbis fundatur dictum partis aduerſæ, & aſſumptum; quia ſubiungitur dummodo tempus à lege præſcriptum non excedatur, & ſic, poſt triennium à die celebrati Capituli præcedentis, ſtantibus Statutis

Reli-

Religionis, in quibus expreſsè diſponitur ſub decreto irritanti, Capitulum Prouinciale non niſi ſingulo triennio celebrari poſse.

9 *Obſeruando Statutum præſcriptum id non conferre in liberam voluntatem Generalis, ſed in arbitrium; magna enim eſt differentia inter vnum caſum, & alterum, quia vbi remittitur voluntati, poteſt iſta quandocunque ad libitum exercere, vbi verò remittitur arbitrio, iſtud intelligitur, prout de iure, & intra iſtius limites.* Caual. d.374. num.1. cum Vulgat.

Illa verò poteſtas anticipandi, vel prorogandi percutit ſolum interuallum intrà circunferentiam triennij, quod non Phyſicè, & Arithmeticè Iudaico more computandum eſt, ſed moraliter, cum anticipatione, vel poſticipatione aliquorum menſium, prout facti qualitas, & benè ordinata ratio Superioris arbitrio penſanda poſtulabunt, ac ità docet praxis quotidiana in Capitulorum Prouincialium celebratione.

Omnemque difficultatem remouet inconcuſſa obſeruantia, quæ in omnibus dubijs eſt optima interpres, ac interpretationum Regina dici ſolet, vt benè Fagnanus in cap. Tuæ. num. 14. in fin. de Cler. non reſid. in fin. Greg. d.184. Cauall. d.8. d.14. nu.4. p.7. rec. In Cæſarauguſtana Portionum 16.Iunij 1659. corã Alberg. *Et aliàs quotidie, quia in omnibus officiorum ordinibus, ſupremis, medijs, & infimis, ità in hac ſeruatur Religione. Defuncto enim Generali Definitorium Generale*

rale eligit Vicarium Generalem, cuius officium durat per totum illud tempus, quod durare debuiſſet Generalis, niſi obijſſet, ac ita ſeruatum fuit in dicta vltima electione P. Donghi, & in alijs quæ dari poſſunt.

Et moriente, vel remoto aliquo Guardiano, vel Superiore locali, Prouincialis ſubrogat alium, qui Vicarij, vel Præſidentis nomen habet, duraturum vſque ad Congregationem per totum tempus quo durare debuiſſet defunctus, ac ità in Vicarijs Prouincialibus paſſim ſeruari ſupponitur notorium, incontrouertibile in Religione.

10 *Habet hæc obſeruantia maximam rationem, quia in Capitulo Prouinciali non ſolum eligitur Miniſter Prouincialis, ſed eliguntur etiam Cuſtos, & Deſinitores, vndè ſi ad libitum Generalis intrà triennium conuocari poſſet Capitulum, oriretur magna confuſio, quia opus eſſet, vel remouere infra tempus dictos alios Officiales cum eorum iniuria, & præiudicio, vel eos vſque ad aliud triennium prorogare, quod poſset eſſe inconueniens, vt durarent in officio, & per quinque, & ferè ſex annos, in præiudicium aliorum eligendorum, ideoque ſanctior, & rationabilior videtur hæc praxis, vt Vicarius tanquam ſubrogatus in locum defuncti perſeueret, vſquequò defunctus perſeuerare debuiſſet.*

11 *Nec obſtat, quod per Breue Sa. Me. Vrban. 8. emanatum de anno 1625. dicatur; decedente Miniſtro Prouinciali primo ſui officij anno, alium Miniſtrum,*

tunc

tunc recenter electum continuare debere uſque ad triennium; Tum quia poſteriora derogant prioribus, ideòque attendendum eſt Statutum ab eodem Vrbano confirmatum de anno 1639., per quod ad amputandas litium, & diſcordiarum occaſiones diuerſimodè diſponitur.
12 *Tum quia etiam, qui præſupponit, non diſponit,* Greg. dec. 208. num. 2. vbi Adden. nu. 7. dec. 55. nu. 4. p. 1. rec. Romana hæred. 28. Apr. 1659. coram Reu. Meltio, *vbi in puncto de Verbis præſuppoſitiuis reſcripti Sacræ Congr. Concilij, & ſic Papa præſupponendo, quod detur caſus procedi ad electionem noui Miniſtri Prouincialis, diſponit tempus, quo ille, alijque Officiales, durare debeant, ſed non indè inferri poteſt, quod præcipiatur de neceſſitate noua electio, vel quod detur facultas Generali illam ſuo libito ante triennium faciendi, loquitur enim ſolum præſuppoſitiuè, quatenus ita det caſus, qui contingere poteſt, quia idem Vicarius electus inſtet pro conuocatione Capituli, vt aliquando contingere ſolet.*
13 *De Epiſtola P. Vicarij Generalis nulla ratio habenda videtur, quia ipſe non poteſt condere Statuta, vel illa ſic interpretata abrogare; Alia verò conſiſtunt in facto, quo de facili tolluntur.*

Quare, &c.

Conſultum quartum.

§. 1. *ILluſtriſs. Domini. Electio Vicarij Prouincialis in locum Miniſtri Prouincialis prædefuncti, officio adhuc non expleto, expreſsè præcipitur à Statutis Generalibus Ordinis, & de iure etiam permittitur in locum ſuperioris defuncti, aut abſentis.* Mirand. in Manual. Prælat. tom. 2. q. 20. art. 1. concl. 1. & Fagnan. in cap. Nullus. num. 50. de elect.

In hac autem Religione, qui mortuo Prouinciali, vel quolibet euentu vacante in Vicarium Prouincialem fuerit aſſumptus, vſque ad Capituli Prouincialis celebrationem in Officio durabit, ex diſpoſitione eorum Statutorum authoritate Apoſtolica Confirmatorum, vndè nihil refert, quòd inſpecto iure communi, Vicarius electus ſit amouibilis per electionem ſucceſſoris, quia Canones non improbant, ſed approbant Conſtitutiones particulares Religionis, quibus aliter caueatur, quæ proindè ſeruandæ ſunt, vt benè declarat Geminian. in cap. 1. ſub num. 4. verſ. 2. caſu diſtin. 21. & comprobat Fagnan. in dicto cap. Nullus num. 52. de elect.

2 *Non ſubſiſtit, quod ex eodem Statuto relinquatur arbitrio Superioris Generalis, anticipatio, vel prorogatio Capituli ſub illis Verbis.* §. At verò Capitulum pro Superiorum Generalium arbitrio anticipari poſſit, vel prorogari. *Quia ex verbis immediatè ſequentibus arbitrium huiuſmodi reſtringitur ad tempus legitimè*

præ-

præſcriptum, ibi; Dummodo tempus à lege præſcriptum non excedatur. *Verba enim ſequentia qualificant, & reſtringuunt generalitatem præcedentium*. l. ità tam. ff. ad Sen. conſ. Trebell. Oſaſch. dec. 128. nu. 16. *Quando præſertim concepta ſunt per clauſulam* dummodo, *quæ ſui natura modificat antecedentia*. l. Lucius §. quæ habebat. Et l. ità tamen. ff. ad Trebell. Rebuff. in pract. tit. de diſp. ratione ætatis. verb. Prouiſio in princip.

4 *Nec contrarium probat Epiſtola P. Vicarij Generalis, ſi benè aduertatur, agnoſcit enim expreſsè, quod ſequuta morte Miniſtri Prouincialis in executionem Statutorum Reformatorum, fieri debeat electio Vicarij Prouincialis, non obſtante Breue San. Men. Vrbani 8., quo cauetur, vt mortuo Prouinciali in primo anno officij*, Prouincialis, tunc recens electus, ſeu deputatus, vnà cum dictæ Prouinciæ Superioribus, atque Officialibus, in ſuis huiuſmodi Officijs ad triennium continuet, & continuare debeat. *Quia nimirum, vt ipſe inquit, Breue Vrbani non adimit obligationem primo Patri conuocandi ſtatim Definitorium, & eligendi Vicarium Prouincialem, ne Prouincia maneat ſine Superiore: Et licèt ſubdat, Generalem Superiorem vigore dicti Breuis, tranſmittere poſſe Commiſſarium Viſitatorem, qui, ſeruatis ſeruandis, procedat ad electionem Miniſtri Prouincialis, hoc intelligitur, quatenus Superior Generalis maluerit eligere Miniſtrum Prouincialem antequam*

fiat

ſiat electio Vicarij Prouincialis, ſecus autem poſt electionem Vicarij, & ità intelligi debet, vt ſit conformis Statutis Generalibus Ordinis, de quibus Vicarius Generalis præſumitur optimè informatus: Aliàs, nec ad declarationem prodeſſet Epiſtola, nec pro obſeruantia, tanquam ſublata per Decretum irritans, adiectum in confirmatione Apoſtolica huiuſmodi Statutorum. cap. ſi eo temp. de elect. in 6. Caſſad. d. 1. nu. 2. de reſt. ſpol. Rot. in rec. d. 71. num. 20. p. 7.

5 *Ex his apparet electionem Vicarij Prouincialis in perſonam P. B. fuiſſe legitimam, indèque per eam jus electo quæſitum eſſe.* Gloſ. in cap. quanto diſt. 63. Viuian. de iure patr. lib. 5. cap. 1. num. 4. & 15. Rot. d. 444. num. 17. p. 5. rec.

Hinc allegari non debet deputatio facta à Sanctiſs. D. N. in perſonam P. G. cum eidem expoſita non fuerit valida præcedens electio P. B. ad formam Statutorum Ordinis. Licèt enim gratiæ factæ motu proprio, opponi non poſſit exceptio ſubreptionis, defectus intentionis ſemper opponi poteſt, iuxtà diſt. Abbat. in cap. ad aur. 8. ſub num. 5. verſ. Vnde concludo de reſcrip. quam Rot. paſſim admiſit apud Seraph. d. 398. num. 1. & ſeq. &c.

6 *Defectus autem intentionis in Pontefice ſemper præſumitur, quoties non intellexit præiudicium partis, & hoc ſufficit, vt gratia corruat.* Cap. Cæterum. 3. de reſcrip. Manent. d. 21. nu. 34. Rot. apud Caual. d. 612.

coram

coram Alberg. verſ. fin. & in Aſſiſ. oblationum 30. Apr. 1660. coram eod. verſ. 1.

Gratis dicitur Pontificem potuiſſe cogitare de præambula huiuſmodi deputatione, cum de his, quæ in facto conſiſtunt, Pontifex notitiam non habeat, & tamen vbi agitur de iure quæſito tollendo, & gratia non eſt ſui natura præiudicialis; non ſufficit, quod Pontifex ex narratis de præiudicio alterius, cogitare potuerit, niſi nominatim, & expreſsè deroget regulæ de iure quæſito. Cæſar. de Graſſ. d. 1. nu. 10. de verb. ſignif. Rot. apud Seraph. d. 1082. n. 6. & in rec. d. 607. n. 4. & 5. p. 3. & luculenter declarat Fagnan. in cap. Cæt. n. 19. & 20. & cap. cauſam quæ. num. 35. & 36. de reſcript. *Quare, &c.*

ET ne in minimo quidem pars ipſa læſa videatur, ſi quodcunque monumentum occultaretur, nihilque omninò, quod pro ſui defenſione ex Curia habuimus, omittatur, infraſcriptam apponimus atteſtationem ad litteram, prout iacet in Copia nobis Roma tranſmiſſa, ſuppreſſis nominibus atteſtantium, eo quia à nullo viro cordato, & prudenti, credatur vt vera, immò nec veriſimilis, ſed ſuppoſititia, & ad potius timorem incutiendum parti contrariæ adinuenta, & quia à litis conteſtatione reſiliret, Prouincialique Vicario cederet: quis nanque hoc poſſet ſibi perſuadere poſſibile, nedum apud Illuſtriſs. & Reuerendiſs. DD. Iudices deputatos, huiuſmodi fidem habere fidem,

ſednec minus in Religione noſtra (ne dicam alijs) ſic dilatata per orbem, & in qua paſſim contrarium fuit ſemper practicatum, & modò omnino experitur ? Et quidem ſicuti parti opponenti Pontificio Breui multum hæc proteſtatio fauiſſet, illamque non parum releuaſſet, ſi vera fuiſſet; ità ex aduersò multùm per omnem modum proderit adæquata reſponſio,& euidens deſcriptorum experientia caſuum, qui fuerunt extrà controuerſiam practicati, & ſic quod fuiſſet aſſumptum pro ſe, fuiſſet contra ſe. Atteſtatio igitur, an expoſita, nec ne, non affirmo, ſic tamen iacet ad litteram videlicèt.

Nos infraſcripti fidem indubitatam facimus, & in verbo veritatis atteſtamur, vtraque Familia noſtræ Seraphicæ Religionis eos, qui mortuo Prouinciali Miniſtro, vel huius officio quolibet euentu vacante, per canonicam electionem Diffinitorij in Vicarios Prouinciales aſſumuntur, in huiuſmodi officio durare debere vſque ad Capituli Prouincialis celebrationem, prout diſponunt Ordinationes Capituli Generalis anni 1639. per S. M. Vrbanum 8. in forma ſpecifica confirmatæ; huiuſmodi autem Capituli conuocationem, tàm ex diſpoſitione Statutorum Generalium, quàm ex inueterata conſuetudine, anticipari non poſſe, niſi completo ſaltem biennio, & imminente triennij complemento, quo defunctus Prouincialis in Officio durare debebat; & ità in praxi fuiſſe ſemper obſeruatum,

& in

& in dies obſeruari. In quorum teſtimonium, &c. Romæ hac die 20. Martij 1662.

Ita atteſtor ego Frater S. Ita eſt Frater A.

Ita atteſtor ego Frater E. Ita eſt ego Frater P.

Ita eſt ego Frater H. Ita eſt ego Frater F.

Ita eſt Frater B.

Quare P. P. iſti in hac cauſa Rhadamantheum non ſunt ſecuti Iudicium; ſi quidem propriò ſunt ducti affectu, & zelo, minus diſcreto; Rhadamantus enim fructum Iudicij ſortitus eſt inculpatum, neque impoſteris animo delectatur, ait Pindar: & ideò veritati, pro qua putabant certare, comam ſuppoſititiam, non natiuam, & genuinam, adaptarunt, vt patet; peniciſſantes fucum, quamuis bona fide, vt par eſt, de Patribus noſtris Iudicare.

Et hæc omnia pro parte opponente. Ad alia.

En Iura Religionis, & Prouinciarum in Decreto quaſita.

POſt hæc omnia, & pro partis opponentis iuribus adducta adamuſſim, & pro impugnanda noui Miniſtri Prouincialis electione præmiſſa; reſtat, Tertio: quod pro perfecta ſupradicti Pontificij Decreti, ſeù reſcripti obſeruantia, proque maiori veritatis euidentia, allegentur, & deducantur iura, ſi quæ ipſi Fratres moniti, vel Prouincia habet, vel habere prætendunt; ſuper

ſuper validitate huiuſmodi electionis in Vicarium Prouincialem, & deputationis in Miniſtrum Apoſtolicum.

Quare, cùm intra præcipua partis opponentis fundamenta, hoc in primis videatur ipſi Achillæum, his verbis, vt relatum eſt ſupra; §. 2. §. 4. *Patet à ſimili de Vicario Generali electo per Definitores Generales vnius duntaxat familiæ in locum Miniſtri Generalis defuncti, &c.* Et omnium videri prætendit ob id, quòd huiuſmodi electio Vicarij Prouincialis, & duratio, pari currat paſſu; proindè, neceſſarium duxi, omnia Iura Religionis noſtræ præmittere; vtramque prouiſionem Vicariorum concernentia, ex quibus Religioſiſſimus Lector ſurgat ad incognita, quæ forſan huc uſque pars ipſa contraria non nouit. En ergo omnia iura à monumentis Seraphicis excerpta, vel ſaltem, præcipua.

IVs primum ſic cōſtituit Clemens V. Pontifex Max. declarando Regulam noſtram in ſua Conſtitutione: *Exiui de Paradiſo*. Ad litteram. §. *Nos volentes poſſe ipſos, &c. Declaramus, ſtatuimus, &c. vt cùm alicui Prouinciæ de Miniſtro fuerit prouidendum, ipſius Miniſtri electio, pœnes Capitulum Prouinciale reſideat quam idem Capitulum die ſequenti, qua fuerit Congregatum, facere teneatur; ipſius autem electionis confirmatio, ad Miniſtrum pertineat Generalem; & ad huiuſmodi electionem per formam ſcrutinij procedatur,*

datur, &c. Infrà verò ſic. §. *Cæterum. Si contingat eoſdem Fratres Miniſtro Generali carere, per Vicarium Ordinis fiat ſuper hoc, quod faciendum fuerit per eundem Miniſtrum, vſquequo prouiſum fuerit de Generali Miniſtro.*

1 En ergo à principio noſtri Inſtituti, habemus primò, formam eligendi Miniſtrum Prouincialem, à quo eligendus, & à quo confirmandus. 2. Et ſecundò; authoritatem Vicarij Generalis mortuo Generali, & durationem ipſius, non ad tempus determinatum; ſed vſquequò prouiſum fuerit de Generali Miniſtro.

IVs ſecundum. Statutum Farinerium æditum Aſſiſij ann. 1354. c. 9. quod ſic iacet, videlicet. *Si verò Generalem Miniſtrum mori cõtigerit ante feſtũ S. Michaelis, Miniſter, in cuius adminiſtratione moritur, vel eius Vicarius, teneatur ſine dilatione ſignificare Miniſtris omnibus, vt in Pentecoſte ſequenti fiat Capitulum Generale; ſi verò poſt prædictum feſtum S. Michaelis deceſſerit, nunctietur nihilominus, non tamen fiat Capitulum Generale, niſi aliàs illo anno debuerit celebrari, ſed celebrabitur in ſequenti anno; & hoc in loco, & Prouincia, &c. Prædictus verò Miniſter Prouincialis, vbi fit Capitulum Generale, poteſtatem habeat ſuper alios in his, quæ ad expeditionem Capituli pertinent, quouſque ſit electus Generalis, ſi fuerit præſens; ſi vero abſens, aßumptis ſecum duobus Miniſtris Vltramontano, & Ciſmontano, de ſe ipſis, vel alijs, de vno Miniſtro*

niſtro prouideant, qui ſuper alios vſque ad finem Capituli habeat poteſtatem.

Circa verò electionem Miniſtrorum Prouincialium ſimiliter procedatur ſicut in electione Miniſtri Generalis: Electores verò eligant præcisè in ſequenti die poſtquam conuenerint ad Capitulũ, quod ſi non elegerint, Miniſter Generalis prouideat de Miniſtro, nihilominus tamen ipſi electores poſſint, & debeant interim de Vicario prouideri, &c. Et poſt pauca ſic ſequitur. §. *Quod ſi Prouinciali Capitulo congregato, Miniſtrum Prouincialem mori contigerit, poſſint in eodem Capitulo congregati, alium ſibi eligere in Miniſtrum, quamquam ad hoc miſſi non fuerint, vel vocati. Cuſtos verò, in cuius cuſtodia moritur Prouincialis Miniſter, poſtquam ſibi de morte conſtiterit, certo die præfixo, & loco, in quo poſſint Fratres commodè conuenire, Prouinciale Capitulum, quamcitiùs poterit, teneatur conuocare, niſi propinquus fuerit terminus Prouincialis Capituli celebrandi, &c.* Et poſt pauca ſic addit. *Quod ſi interim ſit abſens Miniſter electus, inſtituatur Vicarius, qui ex tunc teneat, & regat Prouinciam, quouſque Miniſter in Prouincia habeatur, & fuerit confirmatus.*

3 Ex his habemus multa obſeruanda. Primò, diſpoſitionem noui Miniſtri Generalis: ſi moriatur ante feſtum S. Michaelis, quia ad futuram proximè Pentecoſtem commodè poteſt congregari vniuerſitas vocalium, non ſic ſi decedat poſt feſtum prædictum;

&c ideo

& ideo differt vſq; ad Pentecoſtem ſecundam, niſi iam eſſet citatum Capitulum Generale ab ipſo defuncto Miniſtro. 4. Secundò, diſponit, quod Prouincialis loci Capituli Generalis præſideat vſque ad electum Miniſtrum Generalem, ſi præſentem, ſi verò abſentem, prouideant de vno Miniſtro ex illis, qui præſideat vſq; ad finem Comitiorum. 5. Tertiò, confirmat formam traditam à Clemente V. circa electionem Prouincialium; addendo, quod ipſe Pontifex nõ fecit, prouiſionem ſcilicet vnius Vicarij pro illo interim, quo fuerit prouiſum de nouo Miniſtro, à Generali, ſi ad illum deuoluta fuerit huiuſmodi electio, & prouiſio noui Miniſtri Prouincialis, prout fecit Capitulum Generale. 6. Quartò, concedit electionem ſecundi Miniſtri, ſi contigeret, quod electo primo Miniſtro à Capitulo, moreretur; dummodo eſſent adhuc in vnum Congregati. 7. Quintò, ordinat Cuſtodi quàmcitius electionem noui Miniſtri, ſi moriatur iàm electus. 8. Et Sextò tandem etiàm præcipit deputationem Vicarij in abſentia Miniſtri nouiter electi, ne deſtituatur Prouincia in neceſſarijs quoad gubernium, & ſic patet, quàm præmat Prouincia circa hoc de Vicario in ſupplementum.

IVs tertium. Statutum Alexandrinum ann. 1500. ſub Alexandro 6. & Miniſtro Generali Ægidio Delphino; idem omninò confirmat, quod ſupradictum eſt in Farinerio, ipſumque ad litteram renouat c. 8. hoc

 tan-

tantummodo ſubiūgens in principio ipſius octaui Capituli, & mandans, ſi quādo Miniſtrum Generalem infirmari cōtigerit, & de vita ſuſpicari poſſit; ſic enim dicit præcisè. *Quod teneatur idem Miniſter Generalis coram Scriptore Ordinis, Socijs, Guardiano, & Diſcretis illius Conuentus omni ſepoſita affectione, declarare, quis ſibi ex tota Religione aptior, & vtilior Ordinis Vicarius videretur, & reſignare actu Ordinis ſigillum, &c. quæ ad Ordinem ſpectant, &c.* Infrà deindè ſic. § *Idem in morte Prouin. Miniſtri per Cuſtodē, Guardianum, & Diſcretus Conuentus obſeruetur. Et ſi Miniſter Gener. tunc deceſſerit poſt inſtitutum Vicarium, Miniſter illius Prouinciæ, accerſitis aliquibus Miniſtris, ſi commodè eorum præſentia haberi poterit; de ſufficienti Ordinis Vicario, etiam ipſi iudicium proferant, & celeri nuntio Protectori, & Procuratori Ordinis, defuncti Generalis, & Miniſtrorum opinio intimetur, qui ſi videbitur, vnum ex nominatis, vel alium potiorem à D. Papa Vicarium Generalem poſtulent.* Et cæt. vt ſuprà in Farinerijs.

9 Ex iſto habetur primò prouiſio Vic. Gen. ob ægritudinem Miniſtri Generalis, & qualiter faciēda ab ipſo

10 Et ſecuudò, modus tenendi in electione alterius Vicarij Ordinis, ſi decedat ipſe Miniſter ægrotus.

11 Tertiò, item præcipit hoc idem de Miniſtro Prouinciali, ſi moriatur reſpectiuè.

Sed quia ex his facili negotio, ex aduerſo poſſet opponi, ſiuè potiùs noſtris reſponderi rationibus infrà adducen-

ducẽdis,ſic,vlz. Miniſtri Generales tunc temporis ante ann. 1517. erant perpetui ex vi Regulæ, & non determinati ad certum tempus, ideoq, non erat differenda noui Miniſtri Generalis electio, nec protrahẽda duratio Vicarij Gen.,niſi ad tempus magis commodum,& opportunum,ſed quàmprimùm prouidendum de Rectore Generali,& ſucceſſore Sanct.P.N.Franciſci;quod quidem his noſtris æuis non eſt obſeruandum poſt præfixum Officij Generalatus ſexennium à Leone X.Cum etenim ſit præſcriptus terminus durationis, proindè Vic. Gen. poſt obitum Miniſtri Gener. electus, debet durare vſq; ad complementum ſexennij à Pontifice, & Statutis ordinati,& nõ quamtocius,vel ſtatim,vt anteà celebrare nouũ Capitulum Gen., & ideò pariformiter philoſophãdum de Vic.Prouin.duratione,vſq,ad triennium Miniſtri defuncti; ſed huic obiectioni reſpõdebimus ſufficiẽter ſuo loco. Ponamus alia iura Religionis.

IVs quintum; Statutum Capituli Generaliſſimi tempore Leonis X. ex Breui ipſo Vnionis deſumptum, ann. 1517, in quo Capitulo Romæ celebrato, primus totius Ordinis S. Franciſci Miniſter Gener. ex Obſeruãtia electus fuit P.Chriſtophorus à Foriliuio, ſic dicit,vlz. *Cæterum ordinatur, quod adueniente caſu, quod Miniſter Gen. decederet, tunc Miniſter Prouin. in cuius Prouincia idem Miniſter Gen. morte præoccuparetur, teneatur quàmprimùm ſignificare omnibus Patribus Definitoribus Capituli Generaliſſimi immediatè præce-*

dentis, qui in illa parte interſint, in qua deceſſit, Citramõtana, vel Vltramontana, & vigore huius Ordinationis eiſdem præcipere, quod conueniant ad aliquem locũ idoneum, ab eodem Miniſtro prouidè aſſignandũ, pro Vicarij totius Ordinis electione per eos celebranda: in qua electione ipſe Miniſter præſidebit, habebitq; vocem actiuã, & paſſiuam, ſicut & Definitores cæteri: & ille, ad quem maior pars acceſſerit ſit Vicarius totius Ordinis, & pro tali ab vtraq; Familia habeatur; qui quidem Vic. Gen. ſic electus teneatur mortem Reuer. P. Gen. intimare omnibus Miniſtris Grouincialibus quàmcitiùs poterit, & eos ad Capitulum Generaliſſimum in feſto Pentecoſtes proximè venturo celebrandum, ſi poſſibile fuerit, alioquin pro feſto Pentecoſtes anni ſequentis, vnà cum Cuſtodibus conuocare, &c. vt certè factum eſt, & exequutum, &c.

12 Expleuerunt ſi quidem terminum primi ſexennij vſq; ad annum 1523. à Leone X. præſcriptum tres Miniſtri Gener., prædictus ſcilicet Chriſtophorus, qui poſt ferè menſem à ſua electione fuit ad Cardinalatum aſſumptus, & in ſequenti Pentecoſte ſucceſſit P. Franciſcus Lychetus, quo poſt biẽnium mortuo, Budæ, P. Paulus Soncinas Tertius electus eſt, poſt aliquantulũ Vicariatus, & poſteà Generalatus, tempus compleuit: poſt ſiquidem Lycheti mortem à paucis Ordinis Patribus, ad quos hoc Vicariæ electionis negotium ſpectabat, Romæ conuocatis, primò fuit electus Vicarius Generalis, & in ſequenti Pentecoſte Miniſter totius Ordinis.

Hinc aliqua ex iſto Statuto deducuntur conſideranda. 13. Primò forma electionis Vicarij Generalis in caſu mortis Miniſtri Generalis parum differens ab alijs antecedentibus, & iàm relatis. 14. Secundò, obligatio eiuſdem Vicarij Generalis pro quàmcitiùs conuocando Capitulo Generali ad eligendum nouum Miniſtrum. 15. Tertiò, munus Miniſtri Prouincialis, ad quem ſpectat prouidere de Vicario Generali, ſimul cum Definitorio Generali. 16. Et quartò, quod ſpecialiter eſt notandum, quod pro electione Vicarij Generalis cum non ſit dignitas, nec Superior ex vi Regulæ noſtræ, concedit votum actiuum, & paſſiuum, eidem Miniſtro, & Definitoribus Generalibus, non obſtante, quod ipſe Miniſter Prouincialis præſes huius electionis Vicarij, habeat votum in Capitulo Generali pro Miniſtro Generali eligendo, quod plus eſt. Et tamen ſi de quomagis, & de quo minus videtur.

IVs quintum. Ann. 1532. in Generali Congregatione Meſſanenſi ſub R.P.Paulo Parmenſi, ſic expreſsè fuit Decretum, videlicet: *Declarat Generale Capitulum, quod moriente Miniſtro Prouinciali, Guardianus loci, in quo moritur, teneatur notificare deceſſum eius Miniſtro Generali, & in eius abſentia Commiſſario Generali, qui præſentialiter accedens, vel Commiſſarium inſtituens, præſideat electioni Commißarij Prouincialis, & ibi vocem actiuam habeat, qui ſimilis modus*

dus ſeruetur in morte Prouincialis, ſicut, & in morte Generalis Miniſtri, &c. 17. Hic obſerua ſolùm hoc de voto Guardiani in electione Vicarij, qui tamen habet votum ex officio ad electionem Miniſtri, & non in electione Vicarij, niſi eidem concedatur. 18. Et quòd hic Vicarius eligendus dicitur Commiſſarius Prouincialis, indifferenter enim vſurpant Patres noſtri hoc nomen Vicarius, & Commiſſarius, & è contra.

IVs ſextum: ſic ad vnguem ordinat Statutum Aſſiſienſe ann. 1547. *Decedente alicuius Prouinciæ Miniſtro, ſi in Prouincia illa ſunt Cuſtodes, Cuſtos, in cuius Cuſtodia deceſſerit, teneat ſigillum, in Prouincijs verò, vbi non ſunt, teneat Guardianus, in cuius Conuentu deceſſerit, & is quàm ocyſſimè bono modo, & ſine dolo poterit, teneatur congregare Patres, qui in præcedenti Capitulo fuerunt Definitores, ſimul atque Patres, ſi qui ſunt, qui pro tēpore fuerunt Miniſtri, diſcretos item Prouinciæ, vbi tales habentur, vtpotè in Vltramontanis partibus, quatenus cum eodem Cuſtode, ſeu Guardiano, vnum aliquem eligant Prouinciæ Vicarium, qui totam regat Prouinciam, donec ſucceſſoris Miniſtri in Prouinciali Capitulo ab eiſdem Patribus prouidè aſſignando ſit electio celebrata:* Et poſt multa alia præmiſſa de electione Generalis Miniſtri, ſic ordinat reſpectu mortis eiuſdem, videlicet. *Cœterum ordinatur, quod ſuperueniente morte Miniſtri Generalis, ſi moriatur in partibus, de quibus aſſumptus eſt; Miniſter Prouincia-*

lis,

lis, in cuius Prouincia moritur, teneatur conuocare Patres Definitores illarum Partium, quàm primum fieri poterit, pro electione Vicarij Ordinis, in qua electione dictus Miniſter præſideat, & habeat votum ſicut ipſi Definitores, & ille, in quem maior pars co[illegible]nſerit, ſit Vicarius totius Ordinis: ſi verò moriatur in Partibus, quibus Commiſſarius præeſt Generalis, ſecundum formam Bullæ vnionis, Miniſter, in cuius Prouincia deceſſerit, quàmprimùm fieri poterit, teneatur portare, vel mittere ſigillum Ordinis prædicto Patri Commiſſario Generali, qui teneatur quàmprimùm fieri poterit, conuocationem Definitorum illarum partium facere, in qua Congregatione, tàm prædictus Cōmiſſarius Generalis, quàm Miniſter Prouinciæ, in qua mortuus eſt Generalis, habeant vocem actiuam, ſicut Definitores Generales; Eligendus verò ſemper ſit de eiſdem partibus Miniſtri Generalis defuncti, &c. Similiter prouiſio fiat in morte Miniſtri Prouincialis per Cuſtodem, &c. Et in fine ſic concludit. *Declaramus inſuper, quòd in electionibus, promotionibus, & inſtitutionibus prædictis, & confirmationibus eorundem, Prælati, ſeù Confirmatores, ad formas, aut ſolemnitates quaſcunque à Iure Statutas, non arctentur: ſed ſolum ad ea, quæ in præſentibus Statutis ordinantur circa eadem, &c.*

19 Ex hoc §. infertur ſic, (quod valde eſt obſeruandum,) quomodo ſemper Religio noſtra mandauerit electiones Vicariorum Generalium, ac Prouincia-

lium, in ſupplementum gubernij, & regiminis neceſſarij erga ſubditos, fieri debere quàmprimùm, ſiuè quamcitiùs poſſet, eo quia Religio, ſiue Prouincia non remaneret diſtituta in neceſſarijs dietim occurrentibus. 20. quod item præcipit de electionibus Miniſtri Prouincialis, ſiuè Generalis; ſed quia iſtæ ſunt faciendæ à tota Religione, vel Prouincia, ſiuè omnibus Patribus Vocalibus reſpectiuè earum, difficiliſque ſit huiuſmodi congregatio, & conuocatio eorundem, ideoque præmittit pro interim prouidendum de Superiore ſupplente vices veri Prælati, & Paſtoris, vſque ad tempus commodum, magiſque opportunum, cum hac tamen conditione, vti videre eſt in iàm citatis Iuribus, & citandis, quod non differatur, niſi ad tempus proximè commodum, 21. & opportunum, ne remaneat Religio, aut Prouincia orbata, ſiuè potius diù Viduata, cum præiudicio ſupremæ authoritatis noſtræ Religionis.

22 Et ſecundò conſiderandæ ſunt formæ electionum Vicarij Generalis, & Prouincialis, cum aliquali differentia à prædictis, confirmando pariter vocem actiuam, & paſſiuam, Præſidenti illorum Congreſſium reſpectiuè, ſicut habent Definitores, tum Generales, tum Prouinciales, reflectendo etiam, quod datur votum Præſidenti, quamuis eſſet Miniſter Prouincialis, ſiue Vicarius, vel Commiſſarius, aut Cuſtos, vel Guardianus, 23. quia cum ſit actio iſta, ſiue

talis

talis prouiſio extrà Regulam, & ſolum præcepta in Conc. Viennenſi, in Bullis, & Statutis, potiùs competit Definitorio, quam Capitulis: 24. Ideoque cum Miniſtri ſint propriè vocales in Capitulo Generali non proindè poteſt extendi eorum votum ad electionem Vicarij, niſi expreſsè hoc illis concedatur; Definitoribus ergo competit ex officio, Miniſtris verò in hoc caſu ex conceſſione Capituli; quod eſt valde obſeruandum in caſu noſtro.

25 Et tertiò in prædicto Iure Religionis habetur, quod, vel non eſt neceſſaria confirmatio abſolutè, vel ſaltem non cum ſolemnitatibus Iuris communis in electionibus, vel prouiſionibus Vicariorum.

IVs ſeptimum. Habemus Statutum Salmaticenſe, ſiue Monelianum ann. 1553. ſub Iulio Papa II. quaſi omninò idem, eiſdemque verbis exaratum, cum prædicto Aſſiſien. diſponens circa caſum mortis tum Miniſtri Generalis, tum Prouincialis, hoc ſolum additò; videlicet, *Defuncto Miniſtro Generali in ſuo munere ante Officij ſui quatriennium, Vicarius Ordinis, qui tunc ſuffectus fuerit, eo modo ante præſcripto, is protinus cogat vocales omnes ſuffragatores, Miniſtros ſcilicet, & Cuſtodes eius Familiæ tantum, ex qua erat Miniſter defunctus, vtpotè Ciſmontanæ, vel Vltramontanæ, ad cooptandum alium Miniſtrum Generalem, & in eam cooptionem, & electionem iudicetur vltrò compromiſiſſè, ſuiſque ſententijs iuiſſe altera Familia,*

milia, itaut, quod egerit ea Familia, ex qua erat mortuus Generalis, & quæ ſola alium elegit, altera ratum, fixumque habeat; idque propterea fit, ne tam breui tempore commoueatur, & conturbetur vniuerſus orbis, cum ſumma ſæcularium admiratione, & immenſis expenſis factis, cum paucis poſt annis ſint habenda Comitia ex vniuerſo Ordine ad eligendum Miniſtrum ex altera Familia, ea ſcilicet, quæ compromiſit, quemadmodum fuit vtriuſque Familiæ viciſſitudo, &c. Idemque omnino intelligatur tum de electione, tum de compromiſſo, ſi viuens Miniſter Generalis renuntiaret, deponeretur, ægrotaret inſanabiliter, vel ob alterius iuſtæ rei cauſam vacaret officium, &c. Si autem Prouincia, in qua moritur Generalis orbata eſſet Miniſtro Prouinciali, Commiſſarius illius Prouinciæ in prædictis ſuppleat vices Miniſtri Prouincialis eiuſdem, &c.

De Miniſtro verò Prouinciali, ſic decreuit in eodem cap. 8. §. *Ordinamus etiam quod accedente morte Miniſtri Prouincialis, in ſibi credita Prouincia, &c.* Cum eiſdem verbis omninò Statuti ſupra relati Aſſiſien. ann. 1547. concludit ſolùm cum hac additione, ſcilicet; *Talis tamen electio abſque Generalium Miniſtri, vel Commiſſarij conſenſu celebrari non poterit, &c.* Et poſt pauca. *Et Miniſter ſic electus poterit ſuo fungi Officio, vſque ad exitum triennij abſque hoc, quod in Capitulis, ſiue Congregationibus intermedijs poſſit confirmari, vel deponi.*

26 Ex hoc adhuc colligimus aliqua, videlicet. Debitum Vicarij Generalis electi ante quatriennium defuncti Generalis circa nouam prouiſionem noui Miniſtri Generalis, per Compromiſſum alterius Familiæ ab ea, ex qua fuit Miniſter Generalis mortuus; & finem Patrem Compromittentium hanc nouam electionem vnius duntaxat Familiæ. 27. Quare mirum non eſt, quod differat hæc prouiſio ab illa iàm relata primi Capituli Generalis Obſeruãtum per hoc Compromiſſum, quia in dies, magis, magiſque dilatatur Ordo noſter, & excreſcit numerus Vocalium, immò creſcit difficultas conuocandi ſic commodè Capitula Generalia; Cæterum non eſſet tamdiù prorogandum Capitulum Generale.

28 Item de voto Commiſſarij ſiuè Vicarij Prouincialis in electione Vicarij Generalis ſi ibi non ſit Miniſter, vel Prouincia orbata eo.

29 De Capitulo verò Prouinciali loquendo, idem Statutum obligat electores ad habendum primò conſenſum Miniſtri Generalis, vel Commiſſarij Generalis, antequam deueniant ad electionem. 30. Et vltimò notat durationem Miniſtri debere eſſe ad triennium, quod nunquam fuit dictum de Vicarijs, & non ſolum ad quodcunque determinatum tempus, ſed ſimpliciter indefinitè, & ſine vlla præfixione termini.

IVs octauum. Conſtitutio Aquilana ſub P. Zamorrà Generali, ann. 1559. ſic iubet. *Secundò ſtatuitur, ſi Gene-*

ſi Generalem Miniſtrum ante ſexennium in altera Familia, ex qua aſſumptus mori contigerit, Commiſſarius Generalis ſigillum teneat, qui ſtatim Familiam, ex qua Vicarius Generalis aſſumendus eſt traijcere, & in loco commodo, Patres Definitores, qui pro tempore fuerint, conuocare, & Ordinem de Generali Vicario eiuſdem Familiæ, ex qua erat Generalis, accommodare curabit; & Vicarius ſic electus Statutum Salmaticenſe de Generali, ante quatriennium decedente, inuiolabiliter obſeruabit.

IVs nonum. Valliſoletanum Capitulum Generale ann. 1593. ſic diſpoſuit circà ſubiectam materiam noſtram ſub Reuerendiſs. Patre Calataierone. *Si Geralem Miniſtrum in Officio mori contigerit, &c.* Vide totum *cap. 8. ſub §. de Gen. Miniſtro, ex hac vita in officio decedente*, ſic enim ſubiungit. *Miniſter Prouincialis illius Prouinciæ, in qua deceſſerit, &c. Patres totius Ordinis, & illius Familiæ, &c. Opportuno loco, & tempore pro eligendo totius Ordinis Vicario teneatur conuocare, &c. Patribus autem die ad electionem præſcripto congregatis, & in vnum conuocatis, Vicarius Generalis ab eis Canonicè, ac ritè eligatur, qui tanto muneri ſufficiat, ac dignè reſpondere poſſit, &c.* Et poſt multa ſic. *Generalis Miniſter ſi in adminiſtrando ſuo munere ante triennium ex hac vita deceſſerit, Vicarius Generalis omnes vocales illius Familiæ tantum, ex qua erat Miniſter Generalis, ad cooptandum alium Mini-*

ſtrum Generalem in eadem Familia, opportuno tempore, & loco, conuocare, & congregare teneatur, ſeruatis ſeruandis accuratè, quæ alias de Generali Miniſtro ad feſtum Pentecoſtes eligendo ſancita ſunt; alia addenda de Compromiſſo, quæ ſuprà in Monelianis fuerunt Decreta circa illud. Si verò Generalem Miniſtrum ex hac vita decedere poſt triennium contigerit, tunc Generalis Vicarius reliquo ſexennij tempore vſque ad Generale Capitulum, ſingulo ſexennio ex Leone X. celebrandum, Ordinem moderetur, & omnia, & ſingula, quæ per ipſum Miniſtrum Generalem reſpectiuè præſtanda eſſe decreuimus. Et in § de habentibus votum in electione Vicarij Generalis ſic explicat Statutum. *In electione autem huiuſmodi vocem actiuam, & paſſiuam, &c.* & poſt pauca ſic concludit. *Quod ſi nullus tunc temporis fuerit eius Prouinciæ Miniſter, Commiſſarius, aut Vicarius eiuſdem ad id vocetur, & votum, vt cæteri habeat, &c.*

Et infrà. *Prouinciali Miniſtro ex hac vita in officio decedente, Guardianus loci, &c.* vt ſuprà in aliis dictum eſt. *Qui quidem antiquior Pater, & Diſcretus Prouinciæ ſtatim Generalem de Prouincialis obitu admoneat, atque interea Prouinciam gubernet; nec verò ad electionem Vicarij Prouincialis procedat, niſi reſponſum à Generali ipſo anteà ſuperindè acceperit.*

31 Seligamus inde hæc, primò additamentum Vocalium pro huiuſmodi electione Vicarij Generalis ab illis iam dictis in aliis Statutis relatis: ſcilicèt additio Vicarij Prouincialis.

32 Se-

32 Secundò, nec verbum dicit de Confirmatione facienda ipſius electionis, vtpotè non neceſſaria, ſicut in electionibus verè Capitularibus, & à tota vniuerſitate Ordinis. 33. Tertiò reſtringit terminum vacantiæ ad triennium, ſiuè antè triennium, ad hoc, quod ſit celebrandum Capitulum, & eligendum nouum Generalem, etiam per Compromiſſum iam relatum, 34. Quartò, declarat authoritatem Ipſius Vicarij tunc electi, & durationem ipſius pro reliquo ſexennij tempore.

35 Circa Vicarium verò Prouincialem, non ſic proloquitur idem Statutum, circa durationem eiuſdem in officio, immò præcipit primum Prouinciæ Diſcretum regere eam vſque dum reſponſum habeat à Generali Superiore, circa electionem Vicarij, nec ne. 36. Hic ergo Præſidens electionis eſt verus Superior, regitque Prouinciam, quia dilatatur electio Viceſgerentis, quod non fit, quando ſtatim eligitur Vicarius in remedium Superioris, tunc enim ſolùm habet authoritatem circa conuocationem, & electionem huiuſmodi, & intra ſpheram Congregationis, & nullo modo eſt ſuperior in alijs.

IVs decimum: aliud habemus Salmaticenſe Statutum de ann. 1618, ſiuè potiùs Segouienſe in Congregatione Generali 1621. editum ſub Reuerendiſs. P. Benigno à Genua, ex quo videtur aliter diſpoſitum à prædictis, præſertim circa Vicarij Generalis durationem,

tionem, ſic enim inquit. *Cæterum ordinatur, quòd ſuperueniente vacatione Generalis Miniſtri per mortem, &c. extra Capitulum, ſiuè prædicta vacatio, &c.* Et poſt multa ſatis diffusè diſpoſita ſic concludit. *Ille, qui fuerit in Vicarium Ordinis electus, habebit in vniuerſam Religionem noſtram poteſtatis plenitudinem, ac ſi eſſet Generalis Miniſter, atque continuabit officium ſuum vſque ad Capitulum Generale, in quo ſexennium complendum erat, illius Miniſtri Generalis, qui, vt prædictum eſt, vacauit. In hanc igitur electionem vniuerſus noſter Ordo iudicatur compromiſiſſe, ità vt, quod egerint ſuffragatores, tota Religio, fixum, ratumque, habeat, &c.*

37 Ex iſto conſtat plenitudinem poteſtatis ipſius electi Vicarij Generalis in toto Ordine noſtro, eò quia iudicatur totum ordinem compromiſiſſe circà neceſſarium regimen illius, 38. & durationem declarat abſolutè vſque ad Capitulum Generale, in quo ſexennium complendum eſt, nulla addita conditione, an ſcilicet, moriatur ante primum triennium, vel quatriennium, vel poſt illa, vt diſponebant ſuperiora Statuta iam relata.

39 Sed hic nodum Gordium difficultatibus implexum detego, nec quo enſe diſecandum facilè reperio; dicam tamen quicquid ſentio, pro potius fouenda curioſitate, quàm ſatisfacienda.

Et primò habemus ex P. Miranda tom. 2. q. 10. art. 7. omninò

omninò idem circa hanc materiam Vicarij Generalis, quod diximus immediatè ſuprà de Statuto Segouienſi, & meo videri Statuta citata Congregationis intermediæ, & Generalis, & Segouienſis ſunt eadem cum illis, quæ idem P. Miranda nominat Statuta Toletana ibidem Decreta ann. 1583. de quibus tamen, nec verbum quidem habemus in Chronologia Seraphica; eadem enim verba, & titulos refert, ſicut in Segouienſibus, quarè credo modò, quod dicitur in diffuſo prologo eorundem circa reductionem omnium Statutorum ad certum methodum præſcriptum in eadem Congregatione Segouienſi ann. 1621.

40 Secundò obſeruo in ſubiecta materia, quomodo poſſit ſubſiſtere Compromiſſum factum, ſiuè potiùs relatum in prædictis Congregationibus intermedijs, Toletana ſcilicet, & Segouienſi, cum ad eas ſolum congregentur Vocales Vltramontani, & non totus Ordo. Item dato, & non conceſſo, quod in illis Congregationibus ſolummodo publicarentur Statuta iam facta in alijs Capitulis totius Ordinis, quare non conſtat de hoc mandato, ſiuè Decretis probantibus compromiſſa vtriuſque familiæ reſpectiuè, prout factum eſt aliàs de alijs? Mihi namque faceſſit negotium, quod aſſeritur in Statutis harum Congregationum circa durationem Vicarij Generalis vſq; ad complementum ſexennij abſolutè, & non cum conditionibus præſcriptis in Capitulis antecedentibus, & ſubſequentibus.

quentibus 1642., & 1663. Conſtat ſi quidem in Capitulis Generalibus à Leone X. vſque modo, quod duratio eſt determinata vſque ad Capitulum Generale ſequens, diuerſimodè, ſecundum quod vacatio erit, vel ante triennium, vel poſt. Nàm quo Iure, quaue ratione, poſſumus recurrere ad Statuta vnius tantum Familiæ (ſi Vicarius debet eſſe totius Ordinis) abſque compromittente altera Familia in Capitulo Generali, vti factum eſt multoties; ſed cum prædictis conditionibus, & non ſic abſolutè, quod videlicet decedente Miniſtro Generali, quocunque tempore ſui ſexennij, Vicarius electus debeat regere, & gubernare vſque ad complementum ſexennij Miniſtri defuncti.

Et quod me magis vrget, eſt, quod electus ann. 1614. Vicarius Generalis totius Ordinis Reuerendiſſimus Pater Antonius de Treio poſt mortem Patris Ioannis de Hierro Hiſpano durauit per reliquum tempus ſexennij vſque ad Capitulum Generale celebratum ann. 1618. & vſque modo ſcire non potui, an fuerit virtute Toletani Statuti citati à Miranda, vel potiùs ex Pontificia facultate. Sed mihi videtur, quod virtute prædicti Statuti ann. 1583. non potuerit eſſe, cum illud eſſet vnius duntaxat Familiæ, & non Capituli Generalis; Immò tùnc erat in vigore Statutum Monelianum,

ſiuè Salmaticenſe confirmatum à Iulio Secundo, & Aquilanum ann. 1559., & vltimò Valliſoletanum ann. 1593., de duratione menſuranda ſecundum, quod ſuccederet vacatio Generalatus, nec puto forè admittendam aliquorum reſponſionem dicentium, quod dictus P. Treius durauerit per quatuor annos cum dimidio, eò quia fuit electus ad formam Vltramontani Statuti, & ſimilia; quia hoc non eſſet admittendum ſine ſpeciali Compromiſſo vtriuſque Familiæ, quod vtique non apparet; immò Capitula Generalia citata, & præcipuè Moneianum, & Valleſolitanum diſponunt aliter circa durationem ſic diuturnam. Ergo videtur concludendum firmiter, quod vigeat adhuc diſpoſitio Capitulorum Generalium, & non Congregationum intermediarum; & caſus Patris Treij fuit circa hoc ſingularis, & ad hoc affirmandum me inducit Statutum Generale promulgatum Toleti ann. 1645. §. pro Ciſmontana Familia num. 1. confirmans in omnibus, & per omnia Statuta Generalia Valliſoletana tempore Reuerendiſſimi P. Calatagironis his verbis. *In primis rationabilibus de Cauſis, &c. attendantur, & exequutioni mandentur Statuta Generalia Valliſoleti, &c.* & in fine ſic; *Quapropter alia Romæ ædita ann. 1642. nullo modo ſunt obſeruanda, &c.* Siuè potiùs, prout confirmat P. Vuadingus

gus noſter Chroniſta ſub ann. 1529. num. 23. & 24. diſtinctis Verbis. Et hæc ſint permiſſa, etiam ſi ſint præter noſtrum intentum, & inſtitutum; & vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, & perpendatum Statuta compilata ann. 1663.

IVs vndecimum. Irrefragabile emanauit ius ann. 1625. per Breue Apoſtolicum Vrbani VIII., quo potentiſſime quidem confirmabantur iura antiqua, hucuſque relata, & infrà referenda circa præſentem materiam Vicariorum Prouincialium in vacantijs Miniſtrorum Deputatorum, ſimulq; factum eſt ſatis, & noſtris, & aliorum dubitationibus. Attamen primò præmittamus finem Reuerendiſſimi Patris Bernardini de Senis tunc Miniſtri Generalis totiús Ordinis; 41. Et ſecundò percunctari liceat Conſcriptorum PP. noſtri Ordinis intentionem cupientium non incidere in Scyllam, ſi euitaſſent Carybdim abſque oraculo Pontificio.

Sciendum igitur qualiter ſatis acriter controuertebatur inter Reuerendiſs. P. prædictum Generalem ex vna, & præcipuos PP. Religionis ex altera, indefeſsèque agitabatur de prouidenda forma prouidendi de Superiore in Prouincijs quocunque euentu ceſſaſſent Miniſtri Prouinciales earundem ab officio infrà annum, vel ante triennium Mini-

 ſteriatui

ſteriatui præſcriptum; aiebant etenim, quod ſi Patres Vocales cuiuſcunque Prouinciæ celebrare deberent Capitulum Prouinciale in vacantia Miniſtri infrà biennium ſui Officij (vti par erat, & iuſtum, ſecundum Iura Religionis,) poſſet dubitari à Patribus, primò. An Definitores antecedentis Capituli, & Collegæ demortui Prouincialis poſſent, vel deberent, abſque eorum iniuria, etiam ipſi vtique ab Officio vacare, non obſtante, quod Definitoratus munus ſit etiam triennale cum ipſis Miniſtris. Secundò, aut durare ad nouum triennium cum Miniſtro recenter electo. Tertiò, aut alios nouos eligere Definitores, finito proprio triennio præteriti Capituli, qui continuent vſque ad complementum Miniſtri de nouo electi pro reſiduo temporis ipſius, vel tandem eligere nouum Miniſtrum, pro reſiduo temporis Miniſtri defuncti. Quibus omnibus inter eoſdem ſatis diligenter diſcuſſis, non verò deciſis, vna omnium fuit ſententia, Reuerendiſſ. P. Generalem de Senis poſt humillima pedum oſcula Vrbani VIII. beatorum, debere hæc omnia maximis difficultatibus implexa pro deciſione eidem exponere, & remedium obtinere. Quibus à Pontifice ſummo auditis, ac maturè perpenſis, etſi poſſet facillimo negotio, ſe expedire, vnicoque verbo omnibus ſupradictis reſpondere,

commo-

commotioneſque ſedare, cum ſolo hoc mandato, videlicet, quod Vicarius Prouincialis per mortem Miniſtri Prouincialis prouiſus à Definitorio continuaret, & compleret triennium eiuſdem mortui Prouincialis, nihiloſecius minus inconueniens iudicauit nouum eligere Miniſtrum per aliud triennium cum eiſdem Officialibus præteriti Capituli, etiamſi futuri eſſent quadriennales, vel quinquennales, quàm permittere contra vſum, & conſuetudinem antiquiſſimam totius Ordinis durationem diuturnam, vel ad multum temporis, Vicarij Prouincialis, vtpotè improprius, aduentitius Superior Regulæ, & Prouinciæ viduatæ, voluitq; vſus veteris continuationem, quàmprimùm eligendi proprium Rectorem, & Paſtorem Prouinciæ, & à Regula præſcriptum, hoc idem ſupponendo in ſuo Breui talis tenoris, videlicèt.

Vrbanus Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam.

CReditum humilitatis noſtræ, meritis licèt inſufficientibus, per ineffabilem Diuinæ Sapientiæ prouidentiam Apoſtolicæ ſeruitutis officium iugiter nos admonet, vt Chriſti fidelium ſub ſuaui Religionis iugo, diuini Numinis obſequijs famulantium fælici ſtatui, atq; directioni, quantùm cum Domino poſſumus, opportunè

conſulamus. Hinc eſt, quod Nos ſupplicationibus dilecti filij Bernardini de Senis, Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia Miniſtri Generalis nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati: Quòd de cætero perpetuis futuris temporibus, ſi vllum dicti Ordinis Miniſtrum Prouincialem primo ſui Officij anno ab hac vita decedere, ſiuè idem officium, ex quauis cauſa vacare, ſeù ceſſare contigerit, Miniſter Prouincialis, tunc recens electus, ſeù deputatus, vnà cum alijs eiuſdem Prouinciæ Superioribus, &c. ad triennium continuet, & continuare debeat, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium ſtatuimus, atque ordinamus; Decernentes præſentes litteras ſemper, & perpetuo valituras, firmas, & efficaces exiſtere, ab omnibus dicti Ordinis Fratribus inuiolabiliter obſeruari ſicque, & non aliter per quoſcunque Iudices Ordinarios, & Delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores vbique iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum omnium, tenore

præ-

præſentium pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die 13. Auguſti 1625. Pont. noſtri anno tertio.

V. Theat.

42 Et ſic hoc ipſum ius in fauorem Miniſtri Prouincialis, & Prouinciarum, ab eodem Pontifice paulò poſt fuit exequutioni demandatum per mortem P. Angeli de Monelia Miniſtri Prouincialis Obſeruantiæ Genuen., ad eam ſiquidem Prouinciam Miniſtrum Prouincialem deſtinauit P. Io: Baptiſtam à Monteſano, non obſtante, quod in dicta Prouincia Genuen. iàm fuiſſet de Vicario Prouinciali prouiſum, qui quidem nouus Miniſter nouum triennium perfecit in officio cum eiſdem Definitoribus in Capitulo Prouinciali immediatè electis cum defuncto Miniſtro.

43 Hoc item obſeruatum in praxi ab Alexandro VII. Pont. Max. regnante, in Prouincia Corſicæ annis præteritis electo per ſuum Breue P. Placido de Aregno, Miniſtro Prouinciali defuncto P. Ægidio à Bonifacio, ſubrogando item ſimul, & ſemel alium Definitorem in locum ipſins Placidi actualis Definitoris, etſi

ibidem à Definitorio prouiſum fuerit de Vicario Prouinciali, ſecundum iura.

44 Et anno præterito item exequutum in hac noſtra Genuenſi Prouincia Reformatorum, vt patet in caſu, per ſolum biennium, quia ſic dignis de cauſis fuit ſupplicatum.

Vnde aliqua excipere debemus pro maiori euidentia facti ex ipſo Breui Vrbano. 43. Primò enim obſeruo, quod præcipit perennem Obſeruantiam ſuæ Conſtitutionis in caſu vacantiæ Miniſtri Prouincialis, his verbis, *quod de cætero perpetuis futuris temporibus, ſi vllum dicti Ordinis Miniſtrum Prouincialem, &c.* Et infrà, *decernentes præſentes litteras ſemper, & perpetuo valituras, &c.*

44 Secundò, quod illud quod mandat, ſcilicet *ad triennium continuet, & continuare debeat, &c.* Eſt potius interpretandum per nouum triennium ab electione noui Miniſtri, quàm per continuationem triennij Miniſtri antecedentis, ſuppoſita controuerſia ipſi Summo Pontifici expoſita, vti ſatis euidenter hoc mihi conſtat, & in praxi fuit aliquando obſeruatum; ſed quicquid ſit, parum ad rem noſtram.

45 Tertiò, obſeruandum ex verbis ipſis. *Miniſter Prouincialis tunc recens electus, ſeu deputatus, &c.* Quòd ſupponunt ſatis clarè nouam electionem Miniſtri, non obſtante electione Vicarij ſecundum Statuta,

&c illa

& illa dictio *recens electus* poteſt referri nedum ad tempus demortui Miniſtri, ſed etiam ad ipſam electionem, quæ debet ſemper fieri quàmprimùm ſit poſſibile, ne remaneat Prouincia diù viduata, & ſine ſuo proprio rectore.

46 Quartò, ex eodem Breui, & alijs Iuribus Religionis ſatis conſtat prædicti Vicarij electionem per vacantiam Miniſtri, vel nullatenus impediri, quin Superior Generalis, & Prouincia ſtatim prouideant de nouo Miniſtro, vel ſaltem, vt ſupponat huiuſmodi electionem, quàmcitiùs faciendam, prout in Domino melius videbitur expedire. Si quidem ſi iſta prouiſio Vicarij facta à Definitorio Prouinciali impediret, vel poſſet impedire nouum Capitulum ipſum certè fruſtraretur Breue Vrbanum, dùm præcipit eius obſeruantiam, & durationem Miniſtri recenter electi per triennium; vana enim fuiſſent illa verba *ad triennium continuet, & continuare debeat*.

47 Et tandem hoc eſſet concedendum, quod etſi poſſet dilatari prædicta prouiſio noui Miniſtri, & permittere continuationem Vicarij, non tamen ſine grauiſſimis cauſis, aut quia electus in Vicarium eſſet omni exceptione maior in Prouincia, digniorque pro regimine, & aptior, ſic, & taliter, quòd communitas fratrum fuiſſet, & æquè benè per ipſum prouiſa, ac ſi nouus eligeretur Miniſter; quòd tamen non ſic faciliter

tèr poſſet euenire, & ſuccedere ſine graui iniuria, & grauamine ipſius Prouinciæ, quæ remaneret in pluribus grauata, vti dicemus ſuo loco, dùm eſſet ſine ſuo proprio Prælato: non enim poteſt ſic opportuna eſſe, & ſufficiens ſuſtitutio Vicarij in ſolo Definitorio reſtricta, ſicùt eſſet à tota Prouincia in Capitulo Prouinciali ad ſeruitium, & communem vtilitatem Fratrum.

IVs duodecimum: In neceſſariam conſequentiam prædictæ Vrbanæ Conſtitutionis fuerunt ordinata in Capitulo Generali Romano anni 1639. ſub Miniſtro Generali P. Merinero, quæ ſequuntur, tùm in ordine ad Vicarium Generalem, tum etiam ad Vicarium Prouincialem: De Vicario Generali, præſcribit numerum electorum pro Ciſmontana Familia, & mandat electionem huiuſmodi debere fieri in ea Familia, ex qua erat defunctus Generalis; de Vicario Prouinciali ſic diſponit inter cætera in §. De Vicarijs Prouincialibus. Videlicet. *Is, qui mortuo Prouinciali Miniſtro, vel quolibet euentu vacante in Vicarium Prouincialem fuit aſſumptus, vſque ad Capituli Prouincialis celebrationem in Officio durabit; At verò Capitulum pro Superiorum Generalium arbitrio anticipari poterit, vel prorogari, dummodò tempus lege præſcriptum non excedatur.* Aliud immediatè *Prouincialibus Miniſtris è Prouincia diſcedentibus, vel ad Capitulum*

Gene-

Generale, vel negotiorum cauſa, quæ per ipſos fieri neceſſe ſit, quolibet euentu officium vacauerit, Commiſſarij Prouinciales, qui relicti fuerant ſub titulo, & appellatione Vicariorum Prouincialium in Officio ſuccedent, quouſq; Capitulum Prouinciale celebretur, &c. 48. Hoc non eſt pro Reformatis.

Ex quo iure confirmato per motum proprium Vrbani 8. in forma ſpecifica, ideoque habente vim Conſtitutionis Apoſtolicę, aliqua deduco ſatis probabiliter.

49 Primò, quòd finis huius Conſtitutionis, poſſit eſſe, nedum obſeruantia anteſcripti Breuis Vrbani, ſed & ſpecifica declaratio durationis incertæ Vicarij Prouincialis, poſt eius electionem à Definitorio, quamobrem, cùm hucuſque in relatis Iuribus non appareat indubitabilis explicatio termini durationis Vicariorum, ſed vbique ſemper dicatur, quod durent vſque ad Capituli Prouincialis celebrationem, modò magis ſe explicat Capitulum illis verbis: *At verò Capitulum pro Superiorum Generalium, &c.*

50 Vt ſatis conſtet, quòd non eſt neceſſaria tanta, vel quãta duratio, ſed in arbitrio Generalium reſeruata, vt ſecundùm Deum prouideat, & opportunè de Miniſtro Prouinciali: Et certè non otioſè addita ſunt prædicta verba poſt dictum Breue, quia non poterat verè obſeruari, nec exequutioni demandari, niſi, vel quàmprimùm fieret noua electio, vel ſi in arbitrio

Gene-

Generalis remiſſa Capituli celebratio, ſaltem non excederet tempus præſcriptum.

51 Secundò, obſeruo, quòd iſtud arbitrium Generalium non refertur, nec poteſt referri iuſtè ad vacantium ſolius primi anni, vel ſecundi, ſed etiam in vltimo, ſi videlicet moreretur Miniſter Prouincialis in tertio anno, & ideo non eſſet ſic opportunum ſtatim congregare Vocales, præſertim ſi Prouincia eſſet benè prouiſa de opportuno Vicario, & ſufficienti, 52. Cęterum quis dicet non eſſe contra mentem Pontificis, & Religionis permittere ſine iuſtiſſima cauſa Prouinciam perdurare ad longum tempus ſine Miniſtro?

53 Tertiò, notandum videtur, quod declarata fuerit illa dictio (*dummodò*) poſita in Statuto Romano ann. 1651. & nouiſſimè reuiſo, reformatoque iuxta Decretum vltimi Capituli Toletani ann. 1658. ſic dicendo in cap. 3. §. 7. de Vicarijs Prouincialibus num. 10. *Regimen, aut Officium Vicarij Prouincialis nullo modo poteſt extendi vltrà illud tempus, in quo Miniſter Prouincialis defunctus debebat finire officium:* Nihil addens circa anticipationem, ſemper illam relinquendo arbitrio Generalium, & pro obſeruantia Breuis Vrbani, & vt prouideatur opportunè de ſuo Capite Prouincia.

54 Quartò. Confirmatur intentum librando pręſertim, quod ſequitur immediatè, de diſceſſu Mini-

ſtri

ſtri extrà Prouinciam relicto in Prouincia ſuo Commiſſario: Quis etenim verè cordatus, & ſapiens diceret, quòd Commiſſarius relictus, etiam ſi ſub titulo Vicarij Prouincialis, in officio ſuccederet, quouſque Capitulum Prouinciale celebretur, poſſe eodem modo durare vſque ad complementum triennij, cum illa mutatio tituli Commiſſariatus in Vicariatum ſit merè contingens, & vana? Nullaque ſit differentia in re, etſi ſit aliqualis in nomine; neq; per hoc in ſimili caſu differentiam ponat eſſentialem: niſi quia Commiſſarius dicitur, quia viuente Miniſtro regit, Vicarius verò, quia deficiente ab Officio, vti dicemus ſuo loco Nec minus hæc mutatio accidentalis, plus iuris in Commiſſario confert, quàm ſi facta non fuiſſet, nàm ſemper poteſt eſſe in proximo electio noui Prouincialis.

55 Ac proindè ſemper miratus ſum de quadam reſponſione accepta à quodam Superiore Generali noſtro, quem aliàs ego ipſe conſului in caſu vacantiæ cuiuſdam Miniſtri Prouincialis in certa Prouincia ex noſtris. An videlicet Commiſſarius relictus in diſceſſu eiuſdem Miniſtri poſſet conuenire ad Capitulum Prouinciale proximè ibidem celebrandum, pro ferendo ſuffragio in electionibus Officialium Prouinciæ, eo modo, & iure, quibus poſſet accedere Miniſter, ſi non defeciſſet, ex conceſſione Pontificis, & Statutorum Generalium, &c. Reſcripſit ſiquidem; quod,

vt Commiſſarius non poterat ſuffragari, neque ad electiones prædictas concurrere, benè verò, ſi poſt mortem Miniſtri fuiſſet declaratus Vicarius, prout determinant Statuta Ordinis paſſim, & præcipuè Romanum ann. 1642. cap.8. §.38. num 9. quamobrem certè non video, quod diſcrimen poſſit eſſe inter hos terminos, per quod vni competat votum, alteri verò nequaquam, cum nullum ſit ius hoc explicans, nullaque conſuetudo probata. Vterque enim terminus competit eidem perſonæ reſpectu eiuſdem Prouinciæ, & regiminis; neque ſcio, quod, vt Vicario, magis poſſit prodeſſe ſola declaratio Statuti; quam deputatio Commiſſarij cum conſilio, & conſenſu Definitorij: Deberet enim potior eſſe deputatio Commiſſarij à Definitorio, quàm mera declaratio accidentalis Statuti: Et ideò cuperem proſpici aliquando in re non parum graui circa hanc difficultatem, ne ſibi defuiſſe videatur Religio ſic diligens, & occulata; dicere namque duntaxat, ſic, & non aliter credendum eſſe, eo quod in Religione ſic fiat, non valet; nam ea, quæ conſiſtunt in facto, credi non debent, ſed probari. l. in bello §. captæ. ff. de capt. & olim reuer. &c.

IVs tertium decimum. Vtile exiſtimamus hic ponere, quid referat Tabula Congregationis Generalis anni 1642. in ordine ad Compromiſſum factum alias Valliſoleti, Salmanticæ, & in ſequentibus confirmatum pro vtraque familia, pro prouidendo de

Vicario

Vicario Generali quàmprimùm, & de eo, quod poſt ipſum,& ab ipſo, eſt obſeruandum in vacantijs; & per quæ omnia ſufficienter concluditur annullatum, & reuocatum fuiſſe Segouienſe Statutum ann. 1621. ſuprapoſitum: Sic ergo ponitur in ipſa tabula *Cap. 8. §. 20. tit. Præſtanda à Vicario Generali. Si Miniſter Generalis nondum exacto ſui muneris triennio moriatur Vicarius Generalis electus omnes vocales eius familiæ tantum, ex qua Miniſter Generalis erat, ad eligendum alium Miniſtrum Generalem in eadem familia, loco, & tempore, opportunis, conuocare, & congregare teneatur, omnibus ſeruatis, quæ de Generali Miniſtro eligendo decreta ſunt, in quam electionem vltrò compromiſiſſe, & ſuis ſententijs, & votis concurriſſe altera familia cenſeatur, itàut, quòd ea familia cum Patribus totius Ordinis Diſcretis egerit, altera ratum, & firmum ſemper habeat, &c. Si verò Miniſtrum Generalem in officio poſt triennium mori contigerit, tunc Generalis Vicarius, vt ſuprà electus vſque ad Capitulum Generale Ordinem moderetur, & omnia præſtet, quæ ſupra per Miniſtrum Generalem præſtanda eſſent.*

56 Per quæ cogor affirmare, quòd adhuc ſit in viridi obſeruantia hoc Statutum ab vtraque familia acceptatum, præſertim cum ab A.R.P. Vuadingo in ſuis Annalibus ann. 1529. num. 25. referatur vtique pluries confirmatum. 57. Secundò: perpendendum

exiſtimo,

exiſtimo, quod de Vicarij Generalis duratione decernit, & non ſic de Vicario Prouinciali, quam ſolis coniecturis poſſumus inferre, & quod Religio permittit Vicarios in remedium, & ſolum in vacantia occurente in principio, vel antè medietatem termini Superioris principalis, non verò continuationem diuturniorem, ſupponendo Capitulum celebrandum pro Miniſtro Prouinciali eligendo.

IVs quartum decimum; citamus Statuta Romana ann. 1651. primo in §. de Vicario Generali Ordinis c. 3. num. 1. *Superueniente (quacunque ex cauſa) vacantia Officij Miniſtri Generalis, electio Vicarij illicò celebranda eſt iuxtà Conſtitutiones Apoſtolicas, & Generales; & electio celebranda eſt in illa familia, & per ſuffragia eiuſdem, ex qua Miniſter Generalis fuit aſſumptus per Compromiſſum factum in Capitulo Romano 1639. reuocata Conſtitutione Segouienſi: Et nu. 13. eiuſdem §. ſic. Si contingat etiam Officium Vicarij Generalis vacare propter eaſdem cauſas, quibus Generalis Miniſter, tunc procedendum eſt ad electionem alterius Vicarij Generalis cum eiſdem ſuffragijs, ſolemnitatibus, & ritu, quibus fuit electus primus, (ſeruatis tamen ſeruandis,) qui non dicetur Vicarius Vicarij, ſed Vicarius Miniſtri Generalis.*

Capitulum Generale ſexageſimum ſextum cap. 8. §. de Commiſſarijs Prouinciarum ſic ait. *Verum ſi Miniſter Prouincialis moriatur, vel ex quacunque*

ratione

ratione vacauerit, erit Commiſſarius Prouinciæ ille, qui fuerit electus à Definitorio, cuius electio fiet ſecundum Statuta vniuſcuiuſque Prouinciæ circa locum, vbi celebranda ſit; & circa qui debet Definitorium conuocare; Nam quicquid vnaquæque Prouincia de hac re habuerit conſtitutum, vel in poſterum voluerit conſtituere, illud ratum; ac firmum habere volumus, dummodo ſemper Commiſſarius per Definitorium eligatur.

In paragrapho verò ſeptimo ſic ait de Vicarijs Prouincialibus: *Si Officium Miniſtri Prouincialis, morte, aut alia cauſa vacauerit, illicò debet eligi Vicarius Prouinciæ ab integro Definitorio iuxtà Statuta Generalia, vel Prouincialia approbata; & dignior Pater ſine dilatione vlla debet conuocare omnes Patres, qui ſunt de corpore Definitorij, &c. Vbi electio poſſit fieri celerius ſecundũ Cõſtitutiones Ordinis; & ipſe Pater dignior debet in electione præſidere cum voce actiua, & paſſiua, &c.*

58 Vndè pauca ſubinfero: primò, quod toties in ſimilibus Statutis repetuntur illæ dictiones, *quàmprimùm; vel quantociùs; illicò, ſine vlla mora; ſtatim, & ſimilia*, cum diſponunt de electione Vicarij, quia ſtatim eſt prouidendum de Superiore neceſſariò: De electione verò Miniſtri ſolùm, quàmprimum fieri poterit, & commodè, ſecundum diſpoſitionem, & arbitrium Generalium, & ſic quod in Domino citiùs videbitur expedire, &c.

Secundò renouat Conſtitutionem, ſiue Compro-

miſſum Romanum circà electionem Vicarij Generalis, & reuocat Segouienſe iàm citatum.

Tertiò: occaſione eiuſdem paragraphi vnũ potiſſimè eſt ſciſcitãdũ pro noſtri Iuris perfectiùs attingẽda veritate, aliquas propoſitiones, explicando in ſenſu logico.

59 Indèq; obſeruo præcipuè, quod ſi mori contingat Vic. Gen. iàm ſubrogatus in locum demortui Min. Gen. ordinat Statutum nouam electionem alterius Vicarij Gen., qui tamen non dicetur Vicarius Vicarij, ſed Vicarius Miniſtri Gen.; quod quidem eodem modo erit certè philoſophandum de Vic. Prou., ſi ſimilis daretur caſus, quamobrem ad rem noſtram propriùs eſt examinanda hæc propoſitio, an ſit vera; Vic. Prouin. eſt Prouincialis, quia ex iſta concludetur de alia, An ſit potiùs Vic. Prouinciæ, quàm Prouincialis; & ſic iſta, An Vicarius ſecundò electus poſt mortem primi ſit Vicarius Vicarij, ſiue Ordinis, vel potiùs Vic. Miniſtri Gen.

60 Hanc propoſitionem, Vic. Prouincialis eſt Prouincialis abſolutè negat Pater Portell. in dub. Reg. verb. Prouincia n. 5. Sed nos dicimus potiùs eſſe diſtinguendam, in vno etenim ſenſu poteſt eſſe vera, in alio verò falſa. Falſa igitur erit ſi conſtruatur intranſitiuè, ſiuè in ſenſu intranſitiuo, & vera in ſenſu trãſitiuo. In ſenſu intranſitiuo ſic explicatur. Ille, qui dicitur Vic. Prouin., eſt Prouincialis in recto, eo modo, quo iſtud prædicatum, Prouincialis, dicitur de Miniſtro Prou., & ſic eſt falſa: Et hoc modo intelligit, & debet intelligere ſuum dictũ

P. Por-

P.Portell. In ſenſu verò tranſitiuo eſt vera, quia ſic explicatur. Ille, qui dicitur Vic. Prou. eſt Vic. illius, qui erat Miniſter Prou., & ſic illud prædicatum, Prouincialis, adaptatur ipſi ſubiecto in obliquo; & ideo ſubtili aduertentia eſt modò ſpeculandum, quicquid ſæpè ſæpiùs in monumentis noſtri Ordinis legitur; Aliquando enim ille ſubrogatus in locũ demortui, dicitur Vic. Prouinciæ, aliquando Vic. Prouin. in obliquo; & verè Vicariatus, proprius, ſiue potius eſt Officiũ Prouinciæ, quia datum Prouinciæ in remedium, & in vacantia. Prouincialis verò in recto, eſt ſolùm Miniſter electus ex vi Regulæ à tota Prouincia, vt proprius Superior, & caput illius, nullum ergo mirum, ſi hoc Statutum Gen. explicauit virtualiter hoc idem illis verbis, addendo, vt dixi, quod ſecundus Vicarius electus non dicetur Vicarius Vicarij, ſed Miniſtri Gen.: Nulla enim datur vera ſucceſſio in officijs aduentitijs, & datis in ſupplementũ, ſed benè in proprijs, & conceſſis à Regula: Non igitur poteſt propriè dici; Vic. Gen. eſt Vic. Gen., in recto, ſed benè in obliquo; ſed propriùs eſt Vic. Ordinis, quia Ordini conceſſum in ſupplementum, & ab ordine inſtitutum vi ſuarum legum: Qui quidẽ Caſus aliàs occurrit, præſertim tempore P. Gen. de Senis, poſt promotionem ipſius ad Epiſcopatum Viſenſem; Primus nanq; Vic. Gener. fuit P. Iouer, ſecundus P. Enriquez: & hoc item tempore P. Maneri, cui ſucceſſit in Vicarium Gen. primò P. Perez; ſecũdò P. Robles; & certè hoc notat *P. San-*

 ctor.

ctor. in Commen. cap. 8. *Statut.* 34. qui refert difficultatẽ motam ann. 1632. circa ſecundam electionem; An videlicet ad illã potuerint Vocales legitimè deſcendere inconſulta Sede Apoſtolica? Vide ibi; quia curioſa, &c.

61 Non tamen ſufficienter concludit idẽ P. Sanctor. in pag. 622. ſic: Nec valet paritas de Capitulo ſede vacante, quod amoto, vel decedente Vicario, poteſt alium eligere; quia Capitulum ſede vacãte, ſuccedit Epiſcopo in Iuribus, & ſic Vicarius, qui conſtituitur eſt Vicarius Capituli, non Epiſcopi demortui; at hæc, vel illa Familia non ſuccedit Miniſtro Gen.: neq; Vicarius, qui eligitur eſt Vicarius Familiæ, aut Religionis, ſed Vicarius mortui Generalis, vndè cantari iubet Religio, *Vt nobis reddat orphanis tanti Patris Vicarium*: Quia, vt poſtea in fine ſubiungit, tacitè eſt Vicarius Familiæ idẽ compromittentis: & in Statut. 56. aſſerit, quod Commiſſarius relictus in Prouincia mortuo Miniſtro extra eam eiuſdem Superior ordinarius ex Delegato, cum gubernat non nomine Prouincialis, ſed Capituli Generalis, ex quo rectè concluditur contrarietas in eo.

62 Quartò obſeruo obiter, quod eligendus eſt Vicarius à toto Definitorio iuxtà Statuta Generalia, & Prouincialia, approbata, ex quo expreſſè apparet, quod Capitula Prouincialia adhuc habent plenariam authoritatem condẽdi Statuta circa hanc materiam electionis Vicarij, & præcipuè quicquid ſecundũ Deum melius videbitur expedire, & pro fœliciori Prouinciæ gubernio.

64 Quinto

63 Sed melius, & diligentiùs eſt hæc materia Vicarij enucleanda, præmiſſa tamen omnimoda reuerentia prædicto Statuto Romano ann. 1651. & obſeruantia plena eidem P. Sanctorio; à ſimili certè explicando meam ſententiam, in confirmationem mei dicti antecedentis; quod ſcilicèt conuenientiùs Prouinciæ Vicarius ſit appellandus, quam Miniſtri; non enim faciliter admitto paritatis negationem ipſius Patris de Capitulo ſede vacante, peroptimè ſi quidem meo videri currit eadem paritas de illo Vicario, ac de noſtro poſt mortem Miniſtri, & ſic ergo explico meum aſſertum ex Iure Ciuili, Canonico, Concilijs, & ex Communi Patrum ſententia, prout referunt PP. Diana par. 12. Miſcell. reſol. primà; & Cottonius lib. 3. controu. 9. cap. 1.

Dubitant ibi iſti Doctores, an Pontifex dici poſſit Chriſti ſucceſsor, an Vicarius? Hoc iacto fundamento: Succeſsor propriè dicitur, qui alteri, officio ſuo perfuncto, ſubſtituitur abſque dependentia ab ipſo ſuo anteceſsore, Chriſtus autem non eſt perfunctus capitis munere in Eccleſia poſt eius mortem, ſed eſt Sacerdos in æternum; debet ergò potiùs dici Chriſti Vicarius, quia vices illius gerendas ab ipſo continuò accipit tamquam illius ſubditus: quæ quidem ſignificatio habetur apud Baldum conſil. 353. num. 2. l. 1. Becanum, & alios multos. Et proindè in Conc. Florent. ſic legitur. Definimus Pontificem Romanum ſucceſsorem eſſe

D. Petri Apoſtolorum Principis, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & ideo hoc nomen, Vicarius duplicem habet ſenſum. Interdum inferioritatem, & dependentiam annotans, interdum ſolam, & meram ſucceſſionem in officio, cum æqualitate poteſtatis importans. Primum infertur ex Iure Ciuili Cod. de offic. Vicarij, & Canonico. extrà. eodem tit. Secundum ex Tullio orat. 5. & 6. in Verr. his verbis, *ſuccedam ego ipſe Vicarius muneri ſuo, &c.*

An verò poſſit etiam dici verè Vicarius D. Petri Pontifex Max., negant ipſimet Doctores in proprio ſuo ſignificato, quia Pontifex eſt æqualis, non inferior D. Petro; nec recipit ab eo poteſtatem, ſed à Chriſto. Proindè Card. Baronius, & Bellarminus, impropriam cenſent huiuſmodi locutionem, & tamen poteſt etiam dici ſine improprietate, nàm apud Latinæ linguæ Profeſſores, Vicarij nomen non ſemper dependentiam infert, ſed ſæpè coincidit cum nomine ſucceſſoris, & ſignificat eum, qui loco alterius ſubſtituitur, & vices eius vtcunque ſubit, & ſupplet. Vide citatum Dianam, quia plura circa hoc congeſſit.

Modò ad rem noſtram accedendo, dico quod propriè Vicarij noſtri, nec ſunt verè ſucceſſores Miniſtrorum ex allata doctrina, nec minus Vicarij eorum, ſed potiùs, & propriùs Vicarij Capitulorum, quandoquidem, ſicut Capitulum, ſede vacante, in Cathedralibus ſuccedit Epiſcopo in iuribus, & Vicarius deputa-

tus

tus habet ab eodem iuriſdictionem, & dicitur Vicarius Capit. ſic debemus arguere de noſtris; qui verè, & omninò habent authoritatē à Capitulis, & non à Miniſtris defunctis, cum ab eiſdem toties, & quoties opus ſit prouidentur, nec minus eiſdem ſuccedunt propriè, nec eorum ſunt ſucceſſores, quia non habent eamdem pœnitus iuriſdictionem, etſi reſpectu guberniȷ neceſſariȷ in ſubditos plenam poſſideant. Et proindè ſunt appellandi Vicariȷ Prouinciarum, vel Ordinis, ſiuè potiùs Capitulorum, & quia Prouincia, Ordo, vel Capitulum ſuccedit Miniſtris; & quia ab eiſdem, & ab eorum authoritate dependent; abeiſque inſtituuntur per Compromiſſarios. Miniſtri verò, qui ſuccedunt per electionem debent dici veri ſucceſſores, quia eadem prorſus fruuntur poteſtate, prout ſæpè ſæpius vtuntur Statuta noſtra huiuſmodi appellationibus, & præſertim Stat. Aſſiſien. ann. 1547. appellans Miniſtrum ſucceſſorem alterius Miniſtri, quia officio functo vno Miniſtro ſubſtituitur alter abſque vlla dependentia à primo; nec accipit ab ipſo ſuas vices gerendas tāquam eius ſubditus: non ergò benè concluſit, ſaltem ex hac conſideratione P. Sanctorius: Etſi deindè humillimè ſiſtam ante decretum citatum Capituli Romani, & venerer eius dictum, ac doctrinæ eiuſdem Patris me inclinem, referendo potiùs ergo hoc aſſerui, quam opponendo: nil enim officit quod canitur in Antiphona: *Plange turba paupercula, &c.* ibi .n. loquitur de Vicario impropriè.

64 Quin-

64 Quinto confirmat præſidentiam, & votum paſſiuum, & actiuum, caſu quo non eſſet de Definitorio; En etenim, quod diuerſa eſt præſidentia à voto; poſſet namque præſidere ſine voto, niſi ei ſpecialiter eſſet conceſſum, eo modo, quo dicitur de Commiſſario Viſitatore, qui, etſi habeat omnimodam authoritatem in Prouincia, non tamen habet votum à iure, niſi eidem ſit ſpecialiter demandatum, & conceſſum. 65. Quæ quidem præſidentia nullam omninò ſuperioritatem habet, nec à Religione, nec à Compromiſſo, neque ab aliquo alio iure, ſed ſolum conceditur, quod conuocet Definitorium, electioni præſideat, ſuffragetur, & circà hanc functionem præcisè, poſſit via etiam coercitiua Vocales cogere ad concurrendum; & ratio eſt, quia, cui conceditur finis, conceduntur media ad finem; & commiſſa cauſa, committuntur ea, quæ ſpectant ad cauſam. 66. Cæterum nullus alius Frater tenetur eidem in alijs obedire: In alijs enim actibus Communitatis, Chori, Refectorij, &c. non præſidebit, ſed ſuo loco incedet, ſicut cæteri, nullam inquam iuriſdictionem habet, niſi in linea electionis celebrandæ Vicarij, vt conſtat ex omnibus Statutis Religionis noſtræ, & ex doctrina communi Doctorum, tum noſtræ, tum aliarum Religionum, & ipſa ratione dictante; quod ideò præcipitur illicò prouiſio Superioris, quia ipſe non eſt Superior; quare videant, qui & præſidere vbique, & alia efficere,

præſu-

præſumant extrà ſuam ſpheram actiuitatis, parum, aut nihil verſati in his, quæ prætendunt.

IVs quintumdecimum: Et tandem pro coronide Iurium totius Religionis, quæ hucuſque exſcripſimus ad litteram, videamus, quid habetur in Conſtitutionibus proprijs Reformatorum in c. 8. num. 38. æditis in Cap. Generali 1639. & in Congregatione itidem Generali 1642. acceptatis, & admiſſis ab ipſis Patribus Reformatis, & (vt diſcuſsè concludit *P. Sanctor. in cap. 28. de pœnis §. Ad tertium*,) à Pontefice Vrbano 8. approbatis, & confirmatis in ſuo Breui *Alias pro Congregatione Generali ann.* 1642. Sic ergo ibidem legitur ad litteram. *Morendo il Miniſtro nella Prouincia, il Superiore del* Conuento, *doue ſarà morto, inſieme col Segretario del medemo Miniſtro, piglino tutte le ſcritture, e ſigilli della Prouincia, e li portino al primo Padre di eſſa, quale ſenza dimora conuocarà il Definitorio, e farà l'elettione del Vicario Prouinciale, in cui hauerà voto attiuo, e paſſiuo, conſultato prima il Generale, ſe ſarà nel ſpatio di tre giornate, altrimente non, ma ſi proceda all'elettione, ſenza aſpettare riſpoſta alcuna; e morendo fuori di Prouincia la gouerni il Commiſſario laſciato ſino à nuou' ordine del Superiore Generale, &c.*

67 Ex quo Statuto multum diminutam habemus materiam Vicarij Prouincialis, niſi concedamus talem eſſe, quia in cæteris recurritur ad ius commune

Reli-

Religionis, & Statuta Generalia Ordinis; verùm ſaltem hoc eſt obſeruandum ſicco pede, quod in iſto non diſponitur, nec de præcedentia, nec de duratione vlla, nec minus conſequenter de priuilegio aliquo. 68. De præcedentia, non miror, quia non eſt incluſus Vicarius in Breui Apoſtolico Vrbani 8., de præcedentijs; & ideò nulla debetur eidem; De duratione non tractat, quia ſupponit electionem noui Miniſtri quàmprimùm celebrandam. 69. Nec eſt recurrendum circa hoc ad Statutum Generale, quod ſi permittit durationem ad biennium ad arbitrium Generalis, hoc eſt potiùs pro Obſeruantia, quæ in dies, hoc ſolum intendit, & cupit, in recognitionem Patrum emeritorum, quod non eſt dicendum de Reformatis, qui ſimpliciter anhelant remunerationem æternam, & celeriorem prouiſionem, ne dicam ſubitam, Superioris eligendi à tota Prouincia, & à Capitulo Prouinciali; iuxta Statuta PP. Reformatorum: infra.

70 Indubitatum eſt enim, quod electus à Prouincia erit ſimpliciter dignior, remotiorque ab humanis affectibus, Vicario ipſo à ſolo Definitorio prouiſo; quod quidem argumentum poteſt confirmari ex illa prouiſione, quam addit prædictum Statutum; quando moritur Miniſter extrà Prouinciam; Mandat enim, quod gubernet ſolus Commiſſarius relictus, nec Commiſſarius, vſque dum arbitrium Generalis appareat, diſponat de nouo Capitulo. 71. Neque eſt dicendum,

quod

quod ſimiliter dictus Commiſſarius poteſt durare per biennium, vti Vicarius, nàm hoc non dicit, nec nos poſſumus hoc extendere: etſi non ordinat electionem Vicarij, ſicut quando moritur in Prouincia Miniſter, hoc eſt, quia iàm eſt ſufficienter prouiſa Prouincia de ſuo neceſſario, & opportuno regimine, ac ſufficienti Superiore: A primo ergo ad vltimum nullo modo eſt concedenda duratio longa Vicarij, vt patet ex dictis.

72 Quibus omnibus ſic digeſtis euidentur ſatis videtur concludendum ad caſus noſtri perfectam intelligentiam, quatenus omni æuo fuerit ſemper mos, & vſus in toto Ordine, quàmcitiùs celebrandi Capitula, tùm Generalia, quàm Prouincialia in Vacantijs prouiſa Religione, & Prouincia pro illo intermedio tempore Officiali, ſupplente vices Superioris principalis ex Regula, & præſertim ex noſtris Annalibus conſtat ſic fuiſſe ſemper obſeruatum de Vicarijs Generalibus ab anno 1238. vſque ad ann. 1614. Mortuo etenim Miniſtro Generali Alberto de Piſa ſub feſto Natiuitatis B. V., Papa Gregorius IX. in feſto omnium Sanctorum proximè ſequenti, in nouum Generalem totius Ordinis, (nondum ſic diffusè dilatati, & proindè neque difficilis conuocatio Vocalium pro Capitulo) elegit P. Haimonem, vt ſic quàmprimùm prouideretur de vero ſucceſſore S. P. N. Franciſci, prout præcipit ipſe Pontifex ad Cęlum dolenter exclamare hac Anti-

phona.

phona. *Plange Turba paupercula, ad Patrem clama Pauperum, hoc lugubre ſuſpirium, Pater Franciſce, ſuſcipe, & prode Chriſti Stigmata, lateris, pedum, manuum, vt nobis reddat Orphanis, tanti Patris Vicarium.*

Et ſucceſſiuè ann. 1274. per promotionem Seraphici Cardinalis Bonauenturæ Sancti, viduata Religio habuit eundem Prælatum vſque ad noui Capituli Generalis celebrationem, Vicarium, & Vicerectorem.

Item ann. 1278. per alteram promotionem Card. Hieronymi Eſchij vſque ad 1279.

Et ne ann. 1284. fluctuaret Inſtitutum per deceſſum, & obitum Generalis Miniſtri Bonagratiæ, ſubſtitutus fuit P. Gulielmus de Falcario iàm tunc Vicarius Generalis, qui nihilominus ann. ſequenti 1285. Capitulo præfuit Generali in electione noui Miniſtri Generalis. Et in alijs Caſibus eiuſdem rationis, fuerunt inſtituti alij Vicarij à Pontificibus, & à Religione, ſcilicet P. Matthæus Aquaſpartanus, P. Raymundus Gaufridi, P. Io: de Muro, P. Gulielmus Farinerius, & P. Ludouicus Donatus, qui omnes, alijq; permulti defunctorũ, & promotorum Miniſtrorũ vices obierunt, conuocatis quàmcitiùs ſecundum Ordinis Statuta, & Pontificias Conſtitutiones, Patribus à Regula noſtra Decretis, ad Comitia Generalia breui celebranda, vſque ad ann. 1517., poſtquam conſequenter fuit diſpoſitum de Vicarijs in Statutis Salmantinis, &

Valli-

Vallisoletanis, & alijs circa eorum priuilegia, eò quia ante ann. 1517., vel non excedebant annum, vel ad biennium non perueniebant.

Dicendorum Gnomones.

SEd modò his non obſtantibus, expendendum videtur, quod nos magis vrget, pro maiori firmitate doctrinæ diſputatæ pro inſtitutione Miniſtri, & ad excludendam quamcunque obiectionem poſſibilem in ſubiecta materia, & imaginabilem; quod ſz. Ordo noſter diuerſimodè, vt infrà notabitur, vſus eſt, hoc titulo *Vicarij*. 1. Primò namq; vt dictum eſt; in vacantijs Prælatorum Religionis: Secundò, ſpecialiter poſt inſtitutos primos Obſeruantiæ Patres, ſiue de Familia, ab anno ſcilicet 1438. Hi etenim in tantùm dicebantur Vicarij hac præcipua ratione, & motiuo, in quantùm voluerint deriuatam habere authoritatem à Miniſtris, & corpus totius noſtræ Fraternitatis vero Capiti, & Succeſſori Seraphici Patris adhærere, ſub illius obedientia viuere, nulloque modo totaliter ab Ordine Seraphico recedere: Cæterùm in omnibus, & per omnia cedebant, & ſuccedebant, in locum Miniſtrorum, tum Generalium, tum Prouincialium, reſpectiuè, & pleniſſimè, immò abſoluta pollebant facultate in Obſeruantes, qua prædicti Miniſtri in alios totius Ordinis Religioſos nō Obſeruantes:

& ex

& ex multis de hoc expoſitionibus Apoſtolicis, vnā ſpecialem Pij ſecundi ann. 1464. refero, cum multi de Obſeruantibus obloquerentur, & ſuæ Regulæ tranſgreſſores nuncuparent, quippèqui, non Miniſtris, vt Inſtituti formula præſcribit, his verbis Cap.8. *Vniuerſi Fratres vnum de Fratribus iſtius Religionis teneantur ſemper habere Generalem Miniſtrum, & ſeruum totius Fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire,* &c. 2. *Et cap.10. Vnde firmiter præcipio eis, vt obediant ſuis Miniſtris Prouincialibus in omnibus, &c.* Non Miniſtris (inquam,) ſed Vicarijs, quorum neque quidem nomen in Regula legebatur, obtemperarent; ſic inter alia declarat in duabus Bullis de hac re æditis, prima ad ipſos Fratres; ſecunda Regi Galliæ directis.

Cùm itaque nuper acceperimus, fuiſſe aliquandò nonnullos, qui dubium ducerent, vtrùm vos, qui in profeſſione Regulæ veſtræ videmini obligati viuere ſub obedientia Miniſtrorum Ordinis; iuxtà ipſius Regulæ à B. Franciſco æditæ litteram, cùm nunc ex conceſſione, & determinatione Apoſtolica, præſertim fæl. recor. Eugenij IV., & Nicolai V. Romanorum Pontificum, & noſtra, veſtros Superiores Vicarios appelletis, & non Miniſtros, Regulæ ipſius mandatum adimpleatis, an potius, præter illam agentes, grauiter, & contrà votum profeſſionis, præſertim obedientiæ, delinquatis. Vndè factum ſit, in conſcientijs aliquorum ex veſtris propterea ſcrupulus ſuboriatur, ex eorum ſententia, qui

Apoſto-

Apoſtolicas præfatas determinationes ad plenum non intelligunt; Volentes ſuper huiuſmodi ambiguitate, &c. authoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia noſtra, interpretamur, & declaramus, quod, cum Sedes præfata Veſtræ Familiæ de Obſeruantia poſt Generalem totius Ordinis Miniſtrum, Generales, & Prouinciales Vicarios, Miniſtrorum loco, certis, pijs, & ſanctis reſpectibus eſſe voluerit, & decreuerit; Vicarij ipſi, qui vobis præſunt, & quibus vos ex debito profeſſionis veſtræ, obeditis, veri, & indubitati Miniſtri, veri, & tales, quales B. Franciſcus, & Deus, fore intendebat, ſunt, & perpetuò erunt, quoad vſque Sedes Apoſtolica, in cuius arbitrio conſiſtit aliud alio tunc reſpectu ordinare, ſtatuerit, differentes à prædictis ſolo nomine, & id ex præmiſſa determinatione Apoſtolica, quam, & nos ipſi confirmamus, & approbamus. Voſque, qui eiſdem Vicarijs obeditis, &c. Regulæ veſtræ plenè, & integrè ſatisfacitis, plenèque & integrè ſatisfacere decernimus, & declaramus, non obſtantibus, &c.

Et in Breui ad Regem Galliæ; ſic breuiter ſe expedit in hoc, dicens: *Prælati Obſeruantes quamuis non Miniſtri, ſed Vicarij nuncupentur, in nomine tamen tantum, non autem re, differunt à Miniſtris, neque fuiſſet par, cum, & Prælati Conuentuales appellentur Miniſtri, duos in eadem Prouincia Prælatos Conuentualium, ſcilicet, & Obſeruantum, Miniſtros nuncupari, ſed æquius fuit, eos diuerſis nominibus appellari, &c.*

&c. Nec fides eſt danda aliquibus, &c. Nam Vicarios pro Miniſtris datos eſſe Obſeruantibus patet ſufficienter, &c.

3 Et ſic prædicto anno 1438. primus Vicarius Generalis in Italia de mandato Eugenij IV. inſtitutus, fuit B. & S. Bernardinus Senenſis, qui per quinquennium Obſeruantiæ familiam rexit, Et poſt illum, idem Pontifex, & viuæ vocis Oraculo, & per litteras Apoſtolicas, Miniſtro Generali de Ruſconibus præcepit, vt ipſis Obſeruantibus, (diuiſa Obſeruantia in Ciſmontanã, & Vltramõtanam, Familias; & electis duobus Vicarijs Generalibus in illis) faueret, primamque Familiam B. Ioanni à Capiſtrano, ſecundam Ioanni Mamberto, commiteret, quod quidem promptè exequutum eſt, & expeditè à Miniſtro Generali Antonio, & à Pontifice libentiſſimè duobus Breuibus confirmatum; quibus ſic perfectis, inter cætera hæ, quæ ſequuntur fuerunt præſcriptæ formæ electionis eorum, & Generalium, & Prouincialium.

Et primo, quod Vicarij Gen., & Prouin. eſſent triennales, Gen. quidem ad triennium certum; Prouinciales verò cum aliqua conditione, nec vltra triennium Vicariatus protraheretur omninò, taliſque eſſet forma eligendi ipſos, prout in Breui Eugeniano apparet. *Ordinamus, vt deinceps Vicarius Generalis prope finem triennij, ex quo electus fuerat, poſſit, & debeat conuocare Vicarios, & Diſcretos Prouinciarum, & ante finem*

ipſius

ipſius triennij, Capitulariter congregari facere, qui ſic congregati facultatem habeant eligendi, & eligere ſint adſtricti vnum Religioſum eiuſdem Ordinis in eorum ſimilem Vicarium Generalem, &c. Cuius electionem quàmprimùm commodè fieri poterit, Miniſter Generalis infra triduum, teneatur confirmare, concedendo, & committendo plenariè ſuas vices, dando eis ſcilicet, liberam authoritatem, & poteſtatem, & omnimodam facultatem ſuam ſuper omnes, & ſingulos Fratres de Obſeruantia, &c. faciendi, &c. Et quæ ipſe Miniſter Generalis facere poſſet, ſi præſentialiter intereſſet, &c.

Poſteà in fine Bullæ, ſic addit. *Interim verò dum fuerit confirmatus Vicarius Prouincialis, in cuius Prouincia contigerit fieri huiuſmodi electio, exerceat officium Vicarij Generalis, &c.*

Item, ſi Vicarius Generalis infrà triennium ex hac luce migrauerit, Vicarius Prouincialis, in cuius Prouincia mori contigerit, nunciet quantociùs poterit alijs Vicarijs, & *de conſilio, & conſenſu duorum proximorum Vicariorum, terminet locum, & tempus, & conuocet qui fuerint conuocandi, pro ſucceſſoris Vicarij electione celebranda, quo vacationis tempore Vicarius ipſe, in cuius Prouincia obijt prædictus Vicarius Generalis, authoritate Sedis Apoſtolicæ exerceat Officium Vicariatus, cum plena poteſtate præmiſſa, &c.* Quod quidem eſt etiam obſeruandum ex Bulla Iulij II. ann. 1508. etiam ſi moreretur ipſemet Vicarius iàm dictus præ-

fatæ Prouinciæ, in qua defunctus eſt Vicarius Generalis, & alius ſecundus Vicarius, & tertius, & quartus, vt ita dicam, moreretur, alterque eligeretur, vſque ad noui Vicarij Generalis electionem, iſta nanque ſucceſſio in Vicarijs, ſi caſus occurrerit, fuit declarata ab ipſo Iulio ſecundo, vt patet ex Annalib. P. Vuadingi.

4 Anno dein. 1455. in articulis B. Iacobi de Marchia, ſic erat recordatum, ſcilicet, quod ſi Vicarius Generalis intrà tempus Officij ſui moreretur, hoc eſt intra triennium ſui muneris, tunc Vicarius illius Prouinciæ, in qua mori contigerit, gerat Commiſſariatus Officium, vſque ad futurum Capitulum Generale Obſeruantum, & alterius electionem ſucceſſoris quàm primùm celebrandam. Et ſic fuit multotiùs practicatum ab Obſeruantibus, & præſertim ann. 1451. tempore ſecundi Vicariatus Capiſtranenſis, quando à Nicolao V. ad Federici Imperatoris inſtantiam, vltrà Montes deſtinatus, B. Marcum de Bononia ſuum reliquit Commiſſarium, ſiue Vice Vicarium Generalem pro tota Obſeruantia. Item. ann. 1468. defuncto P. Io: Baptiſta à Leuanto ſui Vicariatus Officio anno ſecundo, eidem ſiquidem ſucceſſit in Commiſſarij munere, Apoſtolica authoritate P. Iacobus à Corneto Romanæ Prouinciæ Vicario Prouinciali, & ſecundum Ordinis Statuta, & in ſequenti feſto Pentecoſtes celiò. bratum Capitulum Generale, electuſque in illo, terte-

P. Mar-

P. Marcus de Bononia Vicarius Generalis.

Et vltimò præſertim hoc idem euenit ann. 1513. defuncto quippè P. Thimoteo Lucenſe Vicario Generali Obſeruantum Familiæ, Commiſſariatus Officio ſucceſſit P. Bartholomæus Ptolomæus Senenſis, qui rexit vſque ad Iunij menſem anni ſequentis, qui poſtea Capitulum Generale conuocauit, & ſucceſſorem prædicti P. Thimotæi elegerunt P. Chriſtophorum Foroliuienſem in Curia Romana Commiſſarium, & vltimum Vicarium Obſeruantiæ: Et hęc ſunt iura PP. Obſeruantum ante ann. 1513.

5 Ex qua declaratione, & decretis nonnulla ſeligimus notanda. Et primò, quod Vicarij, ad rem noſtram, ſunt veluti in duplici ſpecie; alij quippè, vt diximus primo loco ſuffecti pro diuerſis opportunitatibus, & cauſis occurrentibus in Ordine noſtro in locum Miniſtrorum Prouincialium, ſiuè per mortem, renunciationem, promotionem, depoſitionem, ægritudinem, & per abſentiam, ſimiliaque impedimenta, vel item quia. Sedi ſeruiunt Apoſtolicæ in vrgentioribus, vel tandem dati in adiutorium Superioribus maioribus, vt aliquandò contingit in Religione. Alij verò, qui propriè loco Miniſtrorum Prouincialium ſubrogantur, & in tantum dicuntur Vicarij, in quantum ſunt ſubordinati eiſdem Miniſtris, non reſpectu authoritatis, quam habent à Iure, & Pontifi-

ce, ſed reſpectu certæ dependentiæ ad illos, quoad confirmationem, & ad euitandam deformitatem in Religione, ſi darentur in Ordine vno, aut Prouincijs, plura Capita, & æquè principalia; Cæterum, vt ex declaratione patet, differunt puro nomine, ſed non re; Et ideò differunt ſpecie, ſicut Miniſter, & eius Vicarius ab ipſo, vel Definitorio ſolummodò inſtitutus.

6 Diuerſa ſiquidem adhuc ſpecie eſt electio vtriuſque: Primi enim eliguntur per Cōpromiſſum à ſolo Definitorio, vel alio modo prouiſo à lege, & electione noua, & ad inuenta à Religione, pro ſubueniendis Prouincijs in vacantijs. Secundi verò eliguntur à tota Prouincia, vel Ordine, & ab vniuerſitate Prouinciali electione communi, & præſcripta *in C. Quia propter, de electione, & Sac. Conc. Trid.* cum ſuis ſolemnitatibus, & ritibus, ac conſequenter confirmatione.

7 Secundò, notandum, quòd modus iſte vocandi Vicarios, qui tamen erant veri Prouinciales in recto, fuit, ne dum in prædictis annis iàm relatis, ſed poſtmodum fuerunt adhuc in vſu poſt annum 1517. apud Religioſiſſimos PP. Capucinos, & nos Reformatos tempore Gregorij Decimi quinti, quando inſtituit noſtros Vicarios Generales, ſiuè Vicarium Generalem pro Ciſmontana Familia, & Prouinciales,

mutando

mutando nomen Cuſtodis in Vicarium: & apud PP. Conuentuales, vocando ſuos Superiores Magiſtros, & ſi poſteà temporis ſucceſſu, tam ipſi, quàm PP. Capucini, obtinuerint vocari Miniſtro, rationabiliter, nec ne, iudicent alij; hoc vnum ſcio, quod apud me ſummoperè vrget, an ex Regula, poſſint dari plures Miniſtri Generales ſine vlla penitus ſubordinatione, prout ſemper voluit Obſeruantia, cum ſigillum Ordinis penes Cõnuentuales fuit, & quandiù clauum totius Ordinis moderati ſunt; concludendo, quod ſolà Sedes Apoſtolica, in cuius arbitrio conſiſtit, & Regula noſtra, Religio, & quæcunque diſpoſitio Regularis, hoc poteſt concedere vtriſque, vt ſpero conceſſum indubitatè.

8 Tertio notandum; quod tàm Vicarij Generales, quàm Prouinciales ſunt triennales, & determinati ad tempus certum, ſicut erat de Miniſtris, poſt Leonem X., & aliquo modo per hoc perpetùi potentialiter, ſiuè virtualiter, quia ex natura rei erant tales, & quia erant eiuſdem ſpeciei cum Miniſtris Prouincialibus, ex Regula perpetuis.

9 Quartò, obſeruo, quod electiones huiuſmodi Vicariorum, tùm Generalium, tùm Prouincialium erant Canonicæ, & factæ ab vniuerſitatibus reſpectiuè, & ideò verè Canonicæ; & differentes ab electionibus primorum Vicariorum, quę fiebant per Compromiſſum, & ab alijs Vocalibus, non præſcriptis à Re-

gula, ſed inuentis, & inſtitutis à Capitulis Generalibus, tanquam Compromiſſarijs; quod quidem ſatis clarè apparet, quia habemus in Statutis omnibus, quod electores Miniſtrorum Generalium ſunt ſæpè, immò ſemper vocati Min. Prou., & Cuſtodes tanquam ex Regula: Electores verò Vicariorum Generalium primæ ſpeciei, ſcilicèt deputatorum in vacantijs, non ſunt niſi illi, quibus ſpecialiter conceditur votum in illis, videlicèt, Definitoribus, & alijs, ſecundum diuerſa tempora; & quod Miniſtro, in cuius Prouincia mori contigebat Miniſter Generalis, vel eius Vicario Prouinciali, concedebatur votum tàm actiuum, quàm paſſiuum, quod non eſt dicendum, ſi eſſet electio ſecundum Regulam; ex ipſa nanque, & de iure, competit ipſis electio Miniſtri Generalis, ſed non Vicarij, cum ſit diuerſa ratio, & non eiuſdem ſpeciei.

10 Quintò, obſeruo item, quòd electiones, tùm Vicariorum Generalium, quàm Prouincialium de Obſeruantia tanquàm verè Canonicæ, & factæ à tota Communitate, debebant confirmari à Miniſtris Generalibus, & Prouincialibus reſpectiuè; quod non eſt ſimpliciter neceſſarium in prouiſionibus aliorum Vicariorum primæ ſpeciei, vti dicemus clariùs.

11 Sextò; noto quantùm curæ ſit apud noſtram Religionem prouidere de neceſſario Snperiore, in quacunq; parua vacantia Superioris principalis, & in quacunque, vt ità dicam, morula habere, qui regat, &

gubernet

gubernet Ordinem, vel Prouinciam, quia intermedium illud temporis, quod eſt ab electione Vicarij Generalis, ad confirmationem eiuſdem obtinendam à Miniſtro Generali Conuentuali, mandat, quod Vicarius ipſe Prouincialis, qui præſedit electioni huiuſmodi, regat, & gubernet illam Familiam vſquequò fuerit confirmatus Vicarius Generalis; Et inſuper, tempore vacationis Vicarius ipſe, in qua Prouincia deceſſit, authoritate Apoſtolica exerceat Officium Vicariatus Generalis cum plena poteſtate, vſque ad electionem ſucceſſoris, &c. Ex quo patet, quòd non eligebantur noui Vicarij, ſicùt modò, neque ſub nomine Commiſſarij, infra illud tempus, ſicùt poſtèa fuit practicatum, vt diximus ſuprà de anno 1455. de B. Iacobo à Marchia, de B. Marco de Bononia, Patre Iacobo Corneto, & P. Bernardino Ptolomæo, & alijs.

12 Septimò, noto, quod nuncupabantur Commiſſarij, qui regebant Obſeruantiam pro illo temporis ſpatio, quo Vicarius Generalis nouiter electus, ſed nondum confirmatus non regebat; vel cum electus erat abſens à Capitulo, quouſque adueniſſet, vel tandem, vt diximus, vſquequo eligeretur nouus Vicarius poſt mortem anteceſſoris.

13 Quamobrem ex his omnibus manus noſtræ certè quaſi contrectant de indubitabili concluſione noſtræ quæſtionis: immò videtur concedendum, quod Statuta, & Conſtitutiones, modernæ, & recentiores,

de Vicarijs Prouincialibus, debent interpretationem magis recipere ab antiquis,ac item ab inueterata conſuetudine,etiamſi verba recentiorum Statutorum poſſent eſſe dubia, & non certa, ſicùt patet intuenti, litteramque, & ſenſum germanum conſideranti, Quis enim poteſt iuſtè dubitare de illo Statuto, ſiuè ſenſu eiuſdem, quando dicit. *At verò Capitulum pro Superiorum Generalium arbitrio anticipari poterit, vel prorogari, dummodò tempus, lege præſcriptum, non excedatur?* Et quis poteſt adhuc obſtinatè affirmare, tempus Vicarij huiuſmodi debere eſſe nec tantum, nec quantum, præſertim inter Reformatos?

Libamina Iurium Communium.

ET tamen, vt ſemper magis, ac magis hæc veritas agitatæ quæſtionis eluceſcat, & nobis, & poſteris, indubitabilis perſeueret, moueor adhuc hìc addere, & libare, quæ de iure communi circà ſubiectam materiam Vicariorum poteſt deſiderari.

1 Vicarij igitur ethimologia ſumitur à vice,quam gerit alicuius principalis in aliqua authoritate, & exercitio; ſic eſt communis omnium Doctorum calculus loquentium de iſta dictione, *Vicarius*. Et ſic generaliter dicitur Vicarius, quia fungitur officio alicuius Superioris, & Prælati; Et diuerſimodè appellantur in Iure tum Canonico, tum Ciuili: Dicuntur enim, &

Vicarij,

Vicarij, & Commiſſarij, Locumtenentes, Coadiutores, Delegati, Vice Rectores, Prominiſtri, Vicelegati, Proreges, &c.

2 In Religione verò noſtra; ſic deſcribitur, præſertim à Miranda tom. 2. q. 10. art. 7. Vicarius Generalis Ordinis dicitur, & nuncupatur ille, qui ex decreto, & generali Conſtitutione totius Ordinis, & non ex Regula, ſufficitur, & ſubrogatur, in locum præcedentis Generalis Miniſtri defuncti, impediti, aut verò forſan depoſiti, ſiuè priuati. 3 Cuius quidem Vicarij Generalis iuriſdictio, non proindè delegata, ſed ordinaria cenſenda eſt, atque ordinariam iuriſdictionem habet, nàm Bartolus, & alij, ex quadam Gloſa in l. 2. C. de Officio eius, qui vices alterius gerit: affirmanter dicunt eiuſmodi iuriſdictionem eſſe ordinariam, & non delegatam, Delegatus nanque dicitur, cui iudex, & ordinariam iuriſdictionem habens, aliquam cauſam cõmittit, eumdẽ ſufficiendo, & ſubrogando, loco ſui ipſius, & vt vices eius gerat: At ordinarius ille eſt, cui non ab homine, ſed à iure poteſtas, & iuriſdictio ad aliquod munus peragendum eſt conceſſa; quo fit, vt dictus Vicar. Gener. Ordinis pro tempore, quo eius durat officium, à iure noſtrarum Conſtitutionem ſibi conceſſum, ordinarius ſit dicendus, & non delegatus.

4 Iſti Vicarij de iure communi, & ſi dicantur ſuffecti in totum, in defuncti principalis locum, quo caſu omnia poſſunt, vt ipſe principalis, intelligitur hoc tamen

men in ijs, quæ ſunt iuſtitiæ, & neceſſitatis, non autem gratiæ. Menochius inter alios, conſ. 52. num. 75.

5 Idemque habetur in iure Canonico; quod Vicarius corruſcat radijs Epiſcopalibus, in iuriſdictionalibus tantùm; quia corruſcat in ijs, quæ ſibi competunt, vt Vicario, videlicet, in iuriſdictione duntaxat, & non in alio, & etiam in hoc ſine præiudicio tertij. Menoch. conſ. 257. num. 81.

6 Et Vicariatus, vt ſic, præcisè, de iure communi, non venit, tanquam per ſe, & propriè dignitas, etſi habet (vt conceditur) erit priuilegium; nec minus in noſtro propoſito, videtur propriè dignitas Religionis, vel ſaltem eget declaratione, an ſit talis, prout eſt Vicariatus; aut diſtinguendum eſt de Vicariatus duplici ſpecie, iàm relata; immò addit Menoch. conſ. 52. nu. 126., quod Vicario ab extrà, & ex accidenti, competit dignitas, quæ potiùs dicitur officium; In iure ſiquidem ſæpè dignitas pro Officio ſumitur; etiamſi eidem poſſit tota competere definitio dignitatis, eo quia pro temporis neceſſitate, ſuæ Eccleſiæ Viduatæ conſtituitur ad eidem ſeruiendum, ne deſtituatur in neceſſarijs, ex Alberico in ſuo Dictio. Verbo, Vicarij appellatione.

7 Item officium, vt ſic, de ſui natura, & ſecundum communem conſuetudinem, non eſt perpetuum, ſed temporale, & non excedit intermedium tempus à vacantia principalis dignitatis, vſque ad nouam ſucceſſoris prouiſionem, vel electionem. l. neminem C. de ſuſcept. lib. 10.

8 Di-

8 Dignitas non moritur, immò mori non poteſt, & per conſequens dicitur perpetua, inquit Tuſch. verbo dignitas. concl. 420. num. 1. Et ſic licèt Papa moriatur, tamen Papatus non moritur, & eſt perpetuus, & perennis, ſic & Rex, & Imperator. Et ſic ad rem noſtram, Prælati noſtri ſecundum Regulam inſtituti, vti ſunt præſertim Miniſtri Generales, & Prouinciales; Quod quidem non poteſt dici de Vicarijs electis in remedium: Electo enim Miniſtro poſt mortem anteceſſoris, ſpirat eius officium, nec vllo modò durat Vicarius, cum ſit electus, inquam, ad duntaxat intermediũ intercedens à morte vnius ad electionẽ alterius, quod ordinariè erit modicũ, & ſolummodò permiſſiuè protractum aliquandò, & tamen vnquam moritur Miniſtratus, etiamſi determinatus ad ſexennium, vel triennium; Et ideò ſaltem poſt an. 1517., potentialiter perpetuus ex natura rei, & ex Regula, contra dictum P. Sanctorij in ſuis Commen. ſtat. 1. c. 8.

9 Vicarium alicuius deberi honorari, vt ipſe principalis, habemus in iure communi, ſed hoc verificatur, dicit Bartholus, in l. filius ff. de legibus, & alij apud Menoch. conſ. 52. num. 114. 115. quando ab eodem, & eodem modo, quò principalis eligitur, puta ab vniuerſitate, Collegio, & Communitate, & quando habet eaſdem qualitates iure ſuo, quas habet principalis, vt ſic; aliàs non gaudet eiſdem priuilegijs erant Vicarij Obſeruantum.

10 Vi-

10 Vicarijs tantùm ſecundariò, & ex commiſſione legis, Capituli, vel Statutorum, &c. competit iuriſdictio; Miniſtris verò Prouincialibus ineſt ipſis, & principaliter, & naturaliter, vt ſic: Et primis competit de iure ſpeciali, & priuilegio; ſecundis verò de iure ordinario, & per ſe, propriè, & ſecundùm quod ipſum.

11 Vicariorum huiuſmodi, alij ſunt Generales, Prouinciales alij; alij ordinarij, alij delegati, aliqui ſunt Prælati, aliqui verò non: Et exempla de omnibus habemus paſſim in monumentis Seraphicis, & ideò ne præter intentum proijciamus verba, ſolummodo tangam, quæ ad veram nos conducunt intelligentiam.

12 Immò noto; quod prorſus idem eſt philoſophandum de Commiſſarijs in Religione noſtra, quia indiſcriminatim vtitur Ordo noſter his terminis, & nominibus, *Commiſſarius, & Vicarius*, & ſæpiſſimè, immò ſemper idem omninò ſonant, & oſtendunt; quare ad euitandã in his confuſionem, 13 & æquiuocationem, eſt ſatis laudandum, quod fuit decretum in vltimo Capitulo Romano an. 1651. c. 6. §. 1. nu. 1. *Commiſſarij Generales delegati à Miniſtro Generali, vt in ſua abſentia regant aliquas Prouincias, ſeù integram Familiam Ciſmontanam, vel Vltramontanam, non nominentur deinceps Vicarij Generales, ſicut hactenus factum eſt, ſed Commiſſarij Generales delegati, qualiter ipſos nominat Leo X. in ſua Conſtitutione*

Apoſto-

Apoſtolica. Et ideò non parùm miratus ſum, quomodo vltimi Vicarij Generales Obſeruantiæ, & Reformatorum, in vltimo diſceſſu ab Italia Reuerendiſs. P. Miniſtri Generalis Hiſpaniam verſus, intitulati ſint Vicarij, & non Commiſſarij, niſi forſan diceremus, ſic fuiſſe nunciatos à Summo Pontifice, à quo talem titulum petierunt, ad differentiam Commiſſariorum relictorum à P. Miniſtro Generali.

14 Sequitur ergò Statutum ſic: *Similiter Prælati, qui in Prouincijs inſtituuntur, vt in abſentia Miniſtrorum Prouinciam regant, non ſunt appellandi Vicarij Prouinciales, ſed Commiſſarij Prouinciæ, vt in Familia Vltramontana obſeruatur.*

15 Vicarij igitur Generales Ordinis ſunt, qui per electionem ſubſtituunt tempus Miniſtri Generalis, qui vacauit. Vice Commiſſarij Generales Familiæ ſunt, qui per electionem gubernant Familiam per vacantiam Commiſſarij Generalis. Vic. Prouin. intitulantur, qui per electionem gerunt Vices Miniſtri Prouincialis, qui vacauit: Vbi eſt diligenter obſeruanda differentia horum Vicariorum Generalium, & Prouincialium: De illis nanque dicit, quod Vicarij Generales ſunt, qui ſubſtituunt tempus Miniſtri Generalis; de iſtis non ſic, ſed qui vices gerunt Miniſtri Prouincialis: Facit enim multùm per omnem modum ad noſtrum caſum, probando quod nullum eſt determinatum rempus Vicarijs Prouincialibus, ſicuti Generalibus. Obſerua igitur benè hoc metaphiſice.

16 Vicarij nomen tandem duplicem habet ſenſum, vt dictum eſt ſupra num. 61. aliquando enim Inferioritatem, & dependentiam ſignificat, interdum ſolam ſucceſſionem in officio cum æqualitate poteſtatis; & vterque probatur tùm in Iure Ciuili, tùm Canonico.

17 Duplex electio in Religione; Electiua prima; non electiua ſecunda: Illa eſt, quæ fit iuxtà præſcriptum *in c. quia propter: de electione.* Et Sacri Concilij Trid. 18 Et iſta eget confirmatione Superioris, aliter erit nulla, quia, per confirmationẽ contrahitur coniugium ſpirituale, & vinculum indiſſolubile, quod eſt ius acquiſitum perfectum; & huiuſmodi non poteſt fieri niſi à Communitate, Capitulo, Collegio, Religione, & Prouincia, reſpectiuè, quia per ſe eſt Prælatura; & ſic duo ſunt neceſſaria copulatiuè in huiuſmodi Prælaturis; quod videlicet prouideantur per electionem, quam ſequatur confirmatio: & ſecundò: quod talis electio procedat à Capitulo Prouinciali, vel Collegio &c. Non electiua verò eſt illa, quæ non obſeruata in omnibus prædicta forma, etiamſi aliquo modo comitetur illam electio Canonica, ſiue potiùs ſecreta à Compromiſſarijs, quibus per Statutum facta eſt deuolutio talis prouiſionis, & hæc proindè non indiget confirmatione, ſicut prima.

19 Prouiſio igitur duplex datur, ſolemnis, & non ſolemnis. Primà; fit quando ille, cui ſuffragatur ius eligendi, etiam ius confirmandi, ſuffragatur. Et hoc dupliciter

pliciter poteſt eſſe iuxtà communem Doctorum ſententiam; Nàm aut in eadem perſona, hæ duæ poteſtates eligendi, & confirmandi concurrunt eodem Iure, & officio, quoquomodo hoc ſit, ſcilicèt, vel iure deuoluto, vel ordinario; aut diuerſo iure, concurrunt, & officio. Exempli gratia. Prouincialis cum Definitorio habet authoritatem confirmandi Guardianos ab ipſis electos, quia de Iure communi, ſiuè deuoluto ex vi Generalium Conſtitutionum eiſdem prædicta celebrandi Guardianorum electio competit, & ſic patet, quod poteſtas eligendi, & poteſtas confirmandi, concurrunt in eodem Definitorio, eodem Iure, & Officio. Aut ſecũdo, ſicut ſi Generalis fungeretur officio Compromiſſarij in aliquo Capitulo congregato ad electionem Prouincialis celebrandam; tunc enim duæ poteſtates prædictæ eligendi, & confirmandi concurrunt quidem in vna, eademque perſona, ſed diuerſo iure, ſeù Officio, quia eligendi facultatem habet, vt Compromiſſarius, confirmandi verò, vt Generalis.

Prouiſio ſecunda non ſolemnis eſt quando ille, qui habet prouidere, non poteſt confirmari, exempli gratia. Compromiſſarij, in quos electio compromittitur, licèt eligant, non tamen gaudent confirmandi authoritate electionem ab ipſis factam, & proinde ipſi poſſent iũre meritò, vti verbis Prouideo, & eligo, in publicanda electione, quam fecerunt; & hæc coincidit cum ſecundo modo prouiſionis ſolemnis ex Samuelio Dominicano.

20 Prouincialis proindè cum Definitorio, & ſic Præſes electioni Vicarij Prouincialis cum eodem poſſunt ſe expedire vnico actu, eligere nempè, & confirmare ſimul, & ſemel, & procedere per viam veram Prouiſionis ſolemnis: Prouiſio etenim electionis vim habet, & confirmationis; & ideo tàm Guardiani, quàm Vicarij Prouinciales, dicuntur potiùs per prouiſionem inſtituti, quàm per electionem: alia enim confirmatione non egent, ſed ſunt ipſo facto confirmati, & poſſunt ſuum exercere officium, tàm in ſpiritualibus, quá in temporalibus. *Sic Rodriq. noſter tom. 2. q. 53. ar. 6.* contra Samuelem: Quæ omnia multi eiſdem verbis confirmant, præſertim *Felin. in C. eam te de reſcrip. &* *Rota*. Et quia prouiſor abſque alterius facto confert Prælaturam, ideo prouiſio debet habere vim electionis, & confirmationis *C. ſi ſibi abſenti 1. & 2. reſpon. de præbendis in 6.* Non ſic autem electores, quia ipſi expectant factum Superioris confirmantis, vti declarat ibidem *Ioan. Andreas*.

21 Obſeruo obiter *ex Barboſa*, quod quando dicunt Doctores, quod Prælatorum electiones non poſſunt fieri per Compromiſſum, intelligitur de Compromiſſo, ſine votis ſecretis, vti videtur ſic dicere citatus *Rodriq. vbi ſuprà in fine articuli.* Nàm Compromiſſum ſecretum poteſt fieri, & valet.

22 Actus confirmationis eſt actus iuriſdictionis, & ſuperioritatis, & ideò non poteſt confirmare, qui

non

non eſt legitimus Superior mediatus, vel immediatus, habens authoritatem à Summo Pontifice, ſitque immediatus Superior electi confirmandi. *Sic in c. ſi Abbas. c. ſi confirmationem, de electione in 6. & alibi.* Quinimmò cum confirmator ſit vtique ſimul Iudex electionis validæ, nec ne: & confirmatio debeat eſſe per viam iudicij, neceſſe eſt dicere, confirmationem non poſſe haberi, niſi à vero Superiore confirmati: Ex hoc iudicent Lectores, an Pręſes electionis Vicarij Prouincialis poſſit ſingulariter confirmare, cũ nullo modo ſit Superior electi, nihilq; habeat ante electionem, niſi præſidentiam, & directionem in ſola linea ipſius facti, & ſtatim poſt illum, ſit verè ſubditus Vicarij, etiàm ſi nulla ſequeretur ſolemnitas in declaratione eiuſdem.

23 Prælaturæ regulares ſunt conſiderandæ, vel, vt ſunt perpetuæ, vel quatenus ſunt manuales, amouibiles, & non perpetuæ: ſunt perpetuæ quia electiuæ; non perpetuæ, quia prouiſionales: & in tantum voco perpetuam illam Prælaturam, quia adimi nequit, niſi certis caſibus, & cauſis à iure conceſſis, *vt in c. Monachis. de ſtatu Monacor.* Non perpetuæ, dicuntur, quia etſi non poſſint amoueri ab illa, niſi rationabiliter, nullum tamen habent certum tempus. Sed ſolummodò vſquequò facta ſit electio Superioris principalis. 24 Nec nos moueat audire, quod Prælati, etiam electiui, eligãtur ad tempus certum, & quod ad dignitatem tempore limitato aſſumantur; nàm de eſſentia dignitatis,

 & Præ-

& Prælaturæ non requiritur neceſſariò, vt dignitas, vel officium ſit perpetuum, ſed ſatis eſt, quod poſſit eſſe perpetuum, ſi placeret Pontifici, vel Statuta Religionis non prohiberent, & hoc de iure communi: Cœterùm de iure ſpeciali, noſtri Vicarij Prouinciales, etiamſi nec ſint perpetui, nec determinati ad triennium, vel ſexennium, ſed ſolummodò vſque ad Capitulum proximè celebrandum, quod eſt dicere, ſine termino vllo præfixo temporis, ſed ſolùm præfixo termino durationis intermediæ, non propterea reſtat, quod non ſint veri Prælati, & in dignitate conſtituti, ſaltem per accidens:

25 Nec eas inficias ex eo, cum P. Sanctor. in Statutis, quod Prælatura debet eſſe perpetua ad faciendum proprium, & verum Prælatum, prout ſupponunt multi Sacri Canones, quia illi tractant tantùm de beneficijs Eccleſiaſticis, quæ ad vitam ſunt conferenda; Verùmtamen prædicta iura fallunt in munere, & officio, cui eſt annexa iuriſdictio, & adminiſtratio, cum cura animarum, & ex natura rei, & ex Regula, ſunt perpetua potentialiter ſaltem, vti ſunt, & fuerunt, ante annum 1517. Miniſtri Gen., & Prouinciales noſtri Ordinis.

26 Prælaturæ Regulares, etſi iuxtà Sac. Can. ſint omnes amouibiles ex parte obtinentium illas, quia ſunt Regulares, nec quid proprium habere poſſunt, nec minus velle, & nolle. *C. Tuam ad Monaſt. de Stat. Monac.* Regulares tamen nequaquam poſſunt amoueri paſſim ab electiua præſertim Prælatura abſque neceſſitate,

ceſſitate, *ex cap. nullum poteſtat.* 18. *q.* 2. Etſi enim nihil habeant proprij, à iure Canonico tamen prohibentur Superiores maiores, vt non amoueant, niſi iuſtis de cauſis, & ideò ab inferiori nõ poſſunt amoueri, ſed benè à Pontifice etiam ſine cauſa, & ſine vllo imaginabili pręiudicio. Et ratio de hoc potiſſima eſt, quæ habetur *in c. per tuas* 1. *in fine. de Simon. & c. qualiter, & quando* 2. *de accuſat.* Quia non omnes Prælati Regulares perſonaliter confirmantur perpetuò à Sede Apoſtolica, prout *in cap. Porrecta, de Confirmat. vtili, vel inutili.* Concludendum eſt ergo, quod non ſunt amouibiles propter ſpecialem prohibitionem noſtrarum Conſtitutionum, ſed non ex natura rei.

27 Regularis Prouincia verè dicitur viduata, dùm ſine proprio, & vero ſuo Paſtore electo ab ipſa, remanet per mortem ſui Prælati eius veri ſponſi; Contrà *Fagnan. in c. quia propter de elect. in* 2. *par. primi decret. n.* 14. *& c.* 28 Quia, etſi dicat, quod inter Prælatum, & Eccleſiam propriè, & ſtrictè coniugium nõ contrahatur, vt dictum eſt; inter eos tamen eſt quaſi matrimonium, vt probat Textus optimus *in c. ne pro defectu, ſuprà eodem.* Pontifex enim Eccleſias Cathedrales, & Regulares æquiparat in hoc, & iſtarum appellat Rectores, & per illorum mortem vocat eas viduatas. Illud enim, quod allegat pro ſe, de receptione annuli in Conſecratione Epiſcopi, & non Prælati Regularis, electione verum eſt. Annulus tamen eſt ſignum tantùm externum

 illius

illius cõtractus ſpiritualis, per quem poteſt ſuppleri per actum internum, & externum Prȩlati Regularis in receptione ſigilli Prouinciæ, ipſum nanq; eſt quaſi annulus ſponſi. Et quod addit *n.* 15. videlicèt, quod proprietas ſpõſalitij intelligatur in Prælatis perpetuis, & intitulatis, & non è contra, eſt verũ; nàm in Religione ſaltem noſtra, & ex Regula, ſunt perpetui, & tales adhuc eſſent, niſi per Pontificẽ fuiſſet aliter ordinatum, cui ſpecialiter noſtrũ Inſtitutũ ſubeſt ex præſcripto eiuſdẽ Regulæ, & noſtri Seraphici P. Sic inter alios *Lauor. tit.* 4. *c.* 19. *nu.* 5.

29 Item Generalium electio ſpectat de iure actiuè, & paſſiuè ad totam Congregationem Religionis. *C. fin.* 16. *q.* 7. *&c.* niſi aliter à Summo Pontifice ſit Statutum, & ordinatum, etiam ſi duo, vel tres tãtùm adſint in illa Congregatione. *Lauorius de elect. tract.* 4. *c.* 15. *nu.* 16. Sic philoſophãdum reſpectiuè de Prouinciali omninò.

30 Prælati omnes electi ex diſpoſitione iuris cõmunis, hoc eſt, à Capitulis, ordinariam, & omnimodã habent iuriſdictionem ab illo. *c. cum ab Eccleſiar. cũ alijs Authoribus paſſim.* Prȩlati verò electi cõtra diſpoſitionẽ iuris communis, licèt habeant plenam iuriſdictionẽ in ſubditos, cùm non ſit neceſſe, vt eligantur ab vniuerſitate ſubditorũ, cũ difficultate ad congreganda ad hunc effectũ; nulla tamen alia ordinaria authoritate pollent, & gaudent, in dictos ſubditos, niſi ea, quã tribuunt Statuta Religionis; & quatenus illa Statuta ſint confirmata à Sede Apoſtolica; ſic ad litteram *Lauor. de elect. tract.* 4. *c.* 23. *n.* 16.

31 Et

31 Et pro cõfirmatione addo quod dicit *in ſuis murenulis ſec.4.dub. 23.n.23. P. Aluiſet.* Regula ſi quidẽ in quolibet Ordine habet vim legis, & iuris communis, vt docent multi ab illo citati. Et ſic poteſt concludi, quod ſicut Miniſter eligitur ſecundum ius commune Religionis, & Regulæ, eſt alia electio ab illa, quæ non eſt ex Regula, ſed ex Statutis; & ideo non ſic per ſe eſt Prælatura Vicariatus, ſicut Miniſteriatus. 32 Dixi ſuprà quatenus ipſa Statuta Religionis ſint confirmata à Sede Apoſtolica, quia, cum ſint in hac electione Vicarij correctoria iuris communis, & Regulæ, immò extrà Regulam, tenent vim, & valent. Si enim non eſſent confirmata à Pontifice, nulla eſſent, *vt per Rot. deciſ. 65. p. 1. diuerſ. in recent. & in deciſ. 207. &c. vt citat Lauorius ibidem.* Et ideo de facili poteſt amoueri Vicariatus.

Noto ex *Fagnano in C. nullus de elect. in 2. part. primi Decret. nu.46. 49. 54. pag. 6.7.* ſingulare quoddam pro nobis in caſu noſtro, quod tamen videbatur eidem non practicabile ad fauorem partis, ſic enim inquit ibidem. *Deputatio Vicarij, interueniente obitu alicuius Superioris,* (loquitur hic de prouiſione Vicarij in Religione Patrum Sommaſchenſis Congregationis, quæ fit loco demortui Superioris,) *videtur obedientiaria, & amouibilis, quia huiuſmodi Vicarius non inſtituitur; vt habeat prælationem illam, de qua Canones loquuntur,* (ideſt factam per C. quia propter.

de elect. vt ſuprà dictum eſt,) *ſed vt ad tempus præſit Regularibus; & vt ſic, dicitur Prælatus obedientiarius, & ad nutum amouibilis*; & paulò infrà num. 52. adducit reſponſ. quandam Sac. Congr. Concil. in qua dicitur, quod ſimilis prouiſio non fiat niſi ad breue tempus. Sic Fagnanus.

33 In Statutis Valliſoletanis an. 1593. c. 8. loquendo de neceſſaria confirmatione Prouincialis Miniſtri, ſic habemus, vt potè electi ſecundum formam *c. quia propter. de electione, & Sac. Con. Trid. Electus in Miniſtrum nullam authoritatem habeat, quouſquè confirmatus ſit ab eo, qui electioni præfuerit*; Supple à Viſitatore, ſecundum Statuta, miſſo à Generali Superiore; iàm enim eſt tritum, quod huiuſmodi confirmatio debet fieri à Generali *ex Clement. Exiui de Paradiſo de verb. ſignif.* Ipſe nanque ſemper tribuit Viſitatori Prouinciæ, vel Præſidi electionis, vt electum confirmet, etſi id in litteris patentibus non declaret ipſe Generalis: hoc quippè Statuto, & perpetua conſuetudine tenetur ipſe electionem legitimam confirmare, nec aliter ſine cauſa facere poteſt; quòd quidem non eſt ſic in alijs Religionibus, in quibus non præeſt Viſitator, ſicut in noſtra; 34 In alijs quippe, pro illo interim, quo non eſt confirmatus Prouincialis, gubernat, vt Vicarius Prouinciæ, vel, vt etiam erat apud noſtros Patres Obſeruantes, ante ann. 1517., quando eligebant Vicarios Prouinciales loco Miniſtrorum, quia tunc Vice Vicarius,

rius, vel Commiſſarius, deputatus per mortem Prouincialis Vicarij, regebat vſque ad aduentum noui electi, & confirmati; & ex hoc elicio, quod Prouincialis, vt Prouincialis, electus, ſed non confirmatus, non poteſt exercere iuriſdictionem. 35 Electio ſi quidem dat ius ad rem, & confirmatio complet ipſum ius in re, & dat exercitium iuriſdictionis; quod non eſt dicendum de Vicarijs modò electis per mortem Prouincialis. Iſti enim, vt tales, & vt electi, ſiuè potiùs prouiſi, vt diximus; per diuerſam electionem ab ipſa; poſſunt regere, & gubernare iure particulari Prouinciam abſque confirmatione, vt ſeruatur in praxi.

36 Vndè obſeruo hoc ſimiliter haberi ex Conſtitutionibus Capucinorum, his verbis. *Et eletto, che ſarà il Prouinciale, i Padri Diffinitori à nome del Capitolo, mandino, ò ſcriuino al M. R. P. Generale per la ſua Confirmatione ſecondo la Clementina, & in quel mentre, che verrà la riſpoſta, poſſa eſſercitare l'officio come Vicario eletto, quando però ſtia in Prouincia.* En ergo, quod, vt Vicarius, non eget confirmatione, & poteſt gubernare: & hoc idem video conceſſum diplomate Pontificio Gregorij XIII. Nobis reformatis in Ordinationibus ab eo ſancitis ann. 1579. pro bono noſtro Regimine *in* §. *num.* 12. *ſic. Poſſint autem Cuſtodes, dum expectatur, & antequam petatur confirmatio, prædicta,* (adde à Miniſtro Generali) *cum plena authoritate liberè officio ſuo fungi, &c.* Quod eſt dicere,

 quòd

quod poſitus in ſupplementum neceſſitatis non habet ius in re, & per conſequens ius verè quæſitum, ſed ſolummodo ius ad rem, gubernando iure ſpeciali abſque confirmatione: 37 Si enim haberet ius in re per confirmationem, non poſſet prohiberi eius gubernium, nec auferri, vt poteſt in deputatis ad tempus; Quod quidem fuit ſancitum toties, ne Prouinciæ remanerent Acephalæ, & ſine capite, quod poſſet in neceſſitatibus ſubuenire. Et ſi quis obijceret, quod ius in re eſt exercitium officij, ſi igitur Vicarius exercet, habet ius in re, reſpondeo, quod eſt benè ius in re, hoc modo, ſed ſolum pro illo tempore, quo regit; & etiam poteſt dici ius acquiſitum pro eodem tempore, ſed non ius quæſitum perfectum.

38 Surreptio, & obreptio ſunt Synonyma, & idem importantia, ex *Fagnan. in 1. par. Decret. cap. ſuper litteris. de reſcriptis num. 5.* immò ſecundum varios Doctores his vocabulis Canoniſtæ, & iuriſtæ, promiſcuè vtuntur, nec vllam conſtituunt differentiam inter obreptiuum, & ſurreptiuum. Aliqui tamen ponunt hanc differentiam inter hos terminos, quod putant obreptionem eſſe, quando falſum exprimitur, ſurreptionem quando tacetur verum. Alij verò ſic, obreptitias exiſtimant litteras, quando ſub inuolucro verborum, putà ironicè, vel callidè, ſeù fraudulenter, loquendo effugiunt deliberatam Principis conſcientiam; ſurreptitias verò, quandò Papa plenè intelligit totum illarum

tenorem, ſed narratum eſt falſum, vel ſuppreſſum verum. Item pro maiori dilucidatione huius materiæ eſt ſedulò obſeruandum, ſurreptionem, vel obreptionem cauſari ex duplici cauſa: ex taciturnitate videlicet veritatis, & ex expreſſione falſitatis, vt patet in textu eiuſdem c. ſup. litteris. ibi, *Tacita veritate, vel ſuggeſta falſitate*, & infrà ibi. *Falſitatis expreſſionem, vel ſuppreſſionem veritatis.* Surreptio igitur, vel obreptio, eſt expreſſio falſi, & taciturnitas veri, quo non expreſſo, vel tacito, Papa nullo modo litteras conceſſiſſet, ſed potiùs denegaſſet.

39 Surreptio item duplex, altera, quæ prouenit ex parte impetrantis, altera quæ oritur ex re ipſa. Primam tollit motus proprius, non verò ſecundam: Et ideò ſic exponenda eſt illa Regula, in qua dicitur, quod motus proprius Principis tollit, ſiuè excludit omnem ſurreptionem, quia in motu proprio ſurreptio, etiam ſcienter facta, non vitiat reſcriptum: etſi contra litteras motu proprio obtentas non poſſit dari de ſurreptione, vt prædixi, tamen poteſt dari de defectu intentionis, qui ſurreptioni æqui paratur; *vt in deciſ. Seraph.* 398. *num.* 2. Immo, quod eſt ſurreptio in gratiam facta ad ſupplicationem partis, eſt defectus intentionis in gratia facta motu proprio, vt dicitur etiam *in deciſ.* 119. *num.* 6. *par.* 5. *recent.* Et quamuis motus proprius releuet impetrantem ab onere gratiam iuſtificandi, quæ ſolum innititur voluntati, & verbo Papæ, tamen

non impedit, quin ex aduerſo dari poſſit de defectu intentionis Papæ, eoque probato, motus proprius nihil operatur. Aduerte nihilominus, quod requiritur oris aperitio, quando in conceſſione eſt ſublata facultas contrarium dicendi, vel opponendi, vel interpretandi, vt dictum eſt ſuprà poſt diuiſionem caſus noſtri.

40 Ius quæſitum tripliciter potiſſimum dicitur; Aliud enim eſt conditionale, ad tempus aliud; & tertium abſolutum, & perfectum. Et dicitur perfectum, quia abſolutum, & independens, vt ſunt in Religione Miniſteriatus, tum Generalis, tum Prouincialis: & non Vicariatus deputatus in ſupplemẽtum; dependet enim in ſuo conſeruari ab arbitrio Generalis, vt patet ex Statutis; etſi ius Vicarij poteſt dici aliquo modo quæſitũ; hoc ſolum eſt pro illo tempore intermedio vſque ad electionem noui Miniſtri: & ſic eſt potius ad tempus, vel conditionatum. Miniſteriatus autem dicitur per ſe, & abſolutum ius quæſitum, & perſectum à ſolo Capitulo Prouinciali dependens in fieri, & non in conſeruari de iure ordinario.

41 Ius quæſitum ſic nuncupatur ad diſtinctionem aliorum iurium, quæ imperfecta iura nuncupari poſſunt. Et hoc ius quæſitum poteſt nihilominus tollere Papa, & cenſetur ſublatum, quando non eſt purum, ſed conditionatum, & ad tempus, vt in caſu noſtro: *Et Tuſcus verb. Ius quæſitum conſ. 624. 625.* appellat ius quæſitum, quod eſt verum, & perfectum, quando

ſcilicet

ſcilicet eſt certum, & indubitatum, ad quod tollendum Papa vult ſe explicare cum derogatione Regulæ Canc. de iure quæſito non tollendo; quod certè non eſt dicendum de iure quæſito noſtri Vicarij, etiam dato, quod eſſet quæſitum pro tempore vacantiæ, vt dictum eſt, & dicemus in reſponſionibus.

42 Neque eſt ſimpliciter neceſſaria, & abſoluta hæc derogatio, quando gratia eſt de ſui natura præiudicialis, & non dubitatur de indubitata ſcientia concedentis, quia in tali gratia non poſſumus de Papæ ignorantia, aut ſurreptione opponi, ex quo benè nouit Papa per eam tertio præiudicari propter ius certum, de quo præſumitur habere ſcientiam, iuxtà commune proloquium, & axioma, quod in eius pectoris ſcrinio omne ius conſeruatur; 43 Et proindè nouit nullam vnquã dari Communitatem, ſiue Collegium ſine capite, aut Acephalam Prouinciã, aut Conuentum; immo quod ſemper in quocunque euentu, ſemper ſubſtituitur ſucceſſor, aut electione, aut prouiſione, vel ſucceſſione, aut alio quouis modo, ſubſtituendi: Et gratia dicitur ex ſui natura præiudicialis, quando neceſſariò implicat præiudicium tertij, reſpectu tamen eiuſdem iuris, & æquè quæſiti in neceſſariam conſequentiam: Et Papa hoc ſupponit ex natura gratiæ: quæ omnia, nec militant in caſu noſtro, immò adæquatè conueniunt eidem; Electio enim Miniſtri in vacantia, vel non præiudicat, quia non eſt reſpectu alterius Miniſtri iàm

electi,

electi, vel à Capitulo, vel ab eodem Papa; vel ſi præiudicat, hoc eſt, quia perfectius ius, vt eſt quæſitum Miniſtro, facit deſinere minus perfectum, vti eſt Officium Vicarij, datum in merum ſupplementum; neq; hac ratione poſſumus dicere gratiam Miniſtri Prouincialis à Papa electi eſſe fundatam in defectu intentionis: ſufficit ſi quidem actus contrarius ad remouendam voluntatem in proteſtatione Regulæ Cancellariæ poſitam; & tandem nemo aſſerere poteſt, quin Papa ignoret, quod electio Miniſtri, vti proprij Paſtoris Prouinciæ viduatæ, præiudicat certè Vicario prouiſo; ſcit tamen, quòd præiudicat in diuerſo iure, & proindè non eget derogatione Regulæ. Hæc doctrina deſumpta eſt à *Fagnano in p. p. primi decr. de reſcript. c. cæterum num. 16. his verbis. Gratiam de Officio prius alteri collato cum clauſula ad ſui vitam ab eodem Pontifice factam non valere, cum in ea nõ fuerit expreſſum, quod prima ab eodem emanauerat, cum illa qualitate, ad ſui vitam, de qua, ſi Papa recordatus fuiſſet, veriſimiliter ſecundam gratiam, vel nullo modo, vel ſaltèm non tàm facilè conceſſiſſet; ideòque ſecunda eſt ſurreptitia;* & Papa dicitur circũuentus, quod certè eſt ſeriò ſpeculandum. Hoc nanque ad noſtri caſus veritatem inducit; ſed clarius ex ipſo Fagnano: Et ſatis ad rem noſtram de iure quæſito.

44 Ex iure communi, ſolus ille dicitur aliquo officio, vel dignitate ſpoliatus, ſeu deiectus, qui violenter,

aut iniuſtè, à poſſeſſione excluditur, vt patet ex *tit. ff. de reſtit. ſpoliat: & innumeris alijs Iuribus, & DD.* Et proindè non dicitur verè, & propriè ſpoliatus ille, qui à Summo Pontifice ſupremo Eccleſiæ adminiſtratore, & cui omnia Eccleſiaſtica beneficia, & dignitates ſunt obedientialia. Spoliatur per accidens, prouidendo legitimè de vero, & proprio Paſtore; immò abuſiuè ſolum, & non legitimè diceretur ſpoliatus, ſi etiam in vim legis, & Statutorum, ponentium in liberam diſpoſitionem Generalis, vel prorogationem, vel anticipationem Capituli Prouincialis: Tunc enim per nouam electionem Miniſtri ceſſare deberet neceſſariò à ſuo Vicariatus officio, eidem duntaxat in ſupplementum conceſſo: quare ſine vllo fundamento poſſet Vicarius talis reſtitutionem prætendere, præſertim vti Regularis, & omnimodè ſubiectus Pontifici.

Appendices.

1 PRo intelligentia verò Decreti Pontificij in caſu poſito, obſeruo; quod commiſſio delegata regulanda eſt per litteras commiſſionis, & quantumcunque commiſſio ſit Generalis, nunquam tamen extenditur ad ea, quæ ſpeciale requirunt mandatum: Ità communis ſententia Doctorum. Etſi extendatur, nec ratum, nec firmum erit, quod fit: Horumque ratio eſt potiſſima, quia mádati limites non poteſt excedere

dele-

delegatus, nec iota vnũ. Immò *ex Barboſa* hęc addo, *axioma* 144. vbi ait, quod mandati fines exacta diligentia ſunt ſeruandi; 2 Et generaliter Procurator, ſiue delegatus, non ſolum tenetur fines circa mandatum, ſed etiam circa omnes qualitates obſeruare, quia ſi in modico excedat mandati qualitates, dicitur excedere fines, immò *ex Cardinali Tuſco. lit. m. Concl.* 39. *num.*4. habemus, paria eſſe, quod aliquid fiat contra formam mandati, aut præter, vel vltrà: ſimileque eſt non habere mandatum, vel non ſeruare formam mandati; excedenſque mandatarius fines mandati, tenetur ad pœnas, & intereſſe.

3 Procuratoris nomine, vel delegati, venit quilibet mandatarius, ſiuè nuncius, inquit *Barboſa de appellat.* 201. Et inter Procuratorem, & nuncium, hæc eſt differentia ſecundum *Fagnanum. in 2. p. tertij Decret. c. cum Dilectus de rel. dom. num. 2. & infrà.* Quod nuncius dicitur, qui mandatum nõ habet, Procurator verò, qui aliena negotia mandato Domini adminiſtrat, vndè ſimplex nuncius non admittitur ad agendum, etſi ille, qui eſt Procurator, fecit vt nuncius, non valet, quod agitur, nec validatur rati habitione, quod geſſit nuncius, ſi mandatum non præceſſit; Et hoc tenent communiter Doctores, concludit *idem Fagnanus num. 5. Nuncius ſi quidem ex eodem nu. 6. eſt quoddam Organum, quo mediante, vadit vox vnius ad aliũ, ſicut per epiſtolam; Et ſicut aliquis loqueretur per picam*

aliquam

aliquam, ſeu buccinam, & hoc modo vocem ſuam ad aliũ transfert: vndè fit, vt non quæratur nuncio, & per nuncium Domino, ſed directè quæratur Domino, cum nuncius conferat verba in perſonam Domini. Hæc Fagnanus, &c.

Et quia ex his grauiſſima poſſunt oriri dubia, ſcitu digna, vtiliſque poſſit eſſe horum notitia in ſimilibus caſibus, parumper videtur immorandum, & attentè conſiderandum reſcriptum huiuſmodi.

4 Et primò nonnulla elicio contenta in illo: Primùm; mandatum monendi Fratres in eodẽ deſcriptos, & nominatos; opponentes, duos, videlicet. B. & S., & tertium. G. Miniſtrum electum per Breue; Secundò: præſcribitur viginti dierum terminus comparitionis, ſiuè perſonalis, ſiuè Procuratoriæ. Tertiò; quid agendum coram Illuſtriſſimis, & Reuerendiſs. DD. Deputatis Iudicibus, declarat: ad allegandum, ſcilicèt, & deducendum iura: Quartò; quæ iura ſint deducenda exponit. Iura, inquam, ſiue ipſorummet Fratrum ſeſe oppponere prætendentium, vel Prouinciæ; ſi quæ ipſi Fratres ſciant habere, vel habere prætendant, ſuper validitate electionis Vicarij Prouincialis, & deputationis in Miniſtrum. Quinto: tandem, Vicario Generali præcipit duo; vt curet primò, hoc quamprimùm intimari prædictis tribus Fratribus, & de intimatione authenticum habere documentum. Secundò: Congregationi deputatæ præſentandum.

Vnde

Vnde fit vt præter hæc quinque prænotata, nullum omninò poteſt quis, ſiue Vicarius Generalis, qui eſt in hoc Procurator Pontificis, à quo habet præceptum intimationis, ſiue delegatus P. I., & nuncius deſtinatus ab ipſo Vicario Generali, addere, nec vnum iota, aut apicen vllum: In hoc .n. facto non ſe gerit, vt Superior Ordinis, ſed vt delegatus Pontificis, & vt ſic non poteſt excedere limites Decreti ſibi præſentati, neque in delegatione facta in perſonam P. I: poteſt addere, vel minuere quicquam circa materiam reſcripti, prout rectè fecit in ſua epiſtola his verbis:

M. R P. La Santità di N. S. mi cõmanda d'intimare alli R. P. B. S. G. l'incluſo Decreto; e douendo io eſſequire puntualmente li commandamenti di S. Beatitudine incarico alla P. V. con merito di Santa obedienza, che come mio Delegato, faccia detta intimatione alla preſenza de teſtimonij, con laſciare à ciaſcheduno vna copia di detto Decreto, &c. Roma li 28. Genaro 1662.

Nec minus delegatus delegati ipſius P. Vicarij Generalis poſſet extendere officium ſuum, vti verus Proclamator, & Curſor, ad aliquid amplius faciendũ pręter meram intimationem. Quamobrem, ſi Vicarius Generalis, exempli gratia, voluiſſet addere in ſua epiſtola hæc tantummodo verba, videlicèt; *E di più ſi laſciarà intendere, che ſe v'è altra perſona, che pretenda intereſſe in detta cauſa, nel predetto termine deduca le ſue ragioni.* Et ſimilia; excedentia fines mandati;

& qua-

& qualitates, nec potuiſſet iuſtè, nec valerent, quia ex ſenſu verborum, poſſet delegatus facere proclama per Ciuitatem, quia nomine perſonæ poſſumus intelligere, ne dum prædictos tres Fratres citatos, ſed & quoſcunque, ſiuè Laicos, ſiuè Eccleſiaſticos, & ſic abuti intentione Pontificis, cum dedecore Religionis, & quod fit pro bono pacis, vertatur in contentiones, & ſchiſmata: Non tamen excuſaretur nuncius, aut delegatus delegati ab exceſſu; dum præ manibus habebat ipſum decretum intimandum, debebat etenim ſine præiudicio Iuriſdictionis Vicarij Generalis, ipſum optimè conſiderare, & euidenter cognoſcere, quod illi (ſi hoc factum fuiſſet) præcipiebatur, præter, ne dicam, contrà mandatum Pontificis: & ideò non teneri, niſi ad puram intimationem, & dimiſſionem Copię. Sed quid eſſet dicendum, ſi, exempli gratia, ipſe delegatus, ne dum hoc præcisè exequutus fuiſſet, ſed & voluiſſet addere litteras circulares, & encyclicas per totam Prouinciam, præcipiendo his verbis, ſcilicet; *Incarichiamo grauemente a' Superiori Locali, che debbino per extenſum far leggere in Communità de Frati, &c.?* Iudicent alij. Certè neſcio hoc eueniſſe; relinquamus ergo iudicium, quando euenerit caſus, tunc enim fiet, quid prudentia ſuggeret: in caſu noſtro non defecerunt.

5 Item in ſimili caſu non poſſet, nec Procurator Pontificis, nec delegatus delegati publicare per exten-

ſum libellum ſupplicem ; Decretum enim ſic ſolùm præcipit, moneri prædictos B. S., & G. &c. & vt Vicarius Generalis curet hoc mandatum quàmprimùm intimari, vndè igitur inferunt publicare memoriale expoſitum, præſertim cum neſciant, an fuerit verum, nec ne, aut expoſita authentica? Et ſic, intimato præcisè decreto, debebat ſe abſtinere à quacunque alia functione, & ſi minima, ſi caſus euenerit; Nam nos nolumus de futuris proferre ſententiam, immò nec verbum adijcere, nimis enim graue hoc eſſet, & odioſum, ſi legem poſteris ſine cauſa daremus.

Hoc equidem adhuc infero, quod ex termino præfixo viginti dierum, facilè eſt colligendum, quod ſolummodo poſſet vix deſeruire prædictis tribus Fratribus ad Romæ comparandum ſtatim, ac audierint intimationem Decreti, & non expectare publicationem per totam Prouinciam, ſi hoc adhuc voluiſſent præmittere; non enim ſatis fuiſſet menſis integer ad commodè hoc exequendum.

Nemo ergo ſe debet extendere extrà ſpheram ſuæ actiuitatis, nec lineam ſuæ delegationis excedere, ſed ad vnguem, & ad litteram obſeruanda mandata in litteris commiſſionalibus iuxtà notata.

6 Modò non erit ſuperfluum, vel à ſimili, ſiue à fortiori confirmare hanc doctrinam ſuprapoſitam ex doctrina Patris Sanctorij noſtri tractantis de Offi-

cio

cio Procuratoris Generalis Ordinis, quod quidem officium excedit in ſummo officium puri delegati, ac nuncij, prout in caſu noſtro fuit relatum, in Statutorum Comment. *cap. 8. ſtat. 36. quæſt. 3. pag. 654.* vbi ponit multa Procuratori Generali prohibita, circa quæ non extenditur eius procuratio, & poſt illa immediatè ſequitur ratio prohibitionis, hoc pacto dicens. Ratio omnium horum eſt, quia mandati limites excedet, ſi aliter operabitur, & contra ſuum officium aget, immò quod eſt pro bono Religionis, & Prouinciarum, erit in deſtructionem, & illas conturbare non debet. Sunt ergo Procuratores Generales pro cauſis generalibus ad totum Ordinem ſpectantibus, & particularibus Prouinciarum, & Fratrum; ſi tamen requiſiti fuerint, & cum certis, & determinatis conditionibus in eorum Inſtitutionibus, & Statutis, præſcriptis, cœterum ſine ſpeciali mandato, & litteris delegationis totius Prouinciæ, ſiuè Capituli Prouincialis, aut Definitorum; & Miniſtri Prouincialis reſpectiuè, per expreſſa verba explicatis, nihil poteſt, & aliter faciens ſine authoritate operabitur, nàm mandatum non extenditur, ad non compræhenſa in litteris.

7 Et ideò inualidum declaratur factum contra, vel præter formam mandati, per verba indubitatè expreſſa in litteris Commiſſionalibus, quæ ſemper

conſeruari debent, pro iuſtificandis actionibus; & ſic ex hac doctrina, ſi daretur caſus (quod abſit,) quod aliquis Procurator Generalis obtineret quodcunque diploma Pontificium ad preces obtentum Prouinciæ, ſiuè nomine Capituli, non eſſet admittendum antè legitimam informationem mittendam, ſiue exponendam Summo Pontifici, vt cognoſcat ſubreptitiè fuiſſe circumuentum, & deceptum, contra mentem Prouinciæ; & ſine ſuo ſpeciali mandato; & ideò Procuratorem exceſſiſſe in ſuo officio, tenerique ad pœnas, &c. Sic ergo concludimus, ſi Procurator Generalis, apud quem reſidet non parua authoritas circa agibilia Curiæ, neque ſic eſt reſtricta facultas. quia poteſt aliquando interpretare mentem Prouinciæ in re parui mouenti, quantò magis debemus ſupponere de delegato, & puro nuncio? Videant Sapientiores.

Et hæc omnia ſunt iura tum Religionis communia, tum iuris Canonici, & Ciuilis, prout ſpectat ad rem noſtram, & ad perfectam intelligentiam noſtri Caſus propoſiti.

8 Verùm, quia poſt rationes partis opponentis, Apocriphum dedimus ſcriptum nobis trãſmiſſum, continens quandam ſomniatam, ne dicam adinuentam atteſtationem pro confirmanda ipſius contrariæ partis prætenſione, iudico ſatis opportunum, ſiuè

potiùs

potiùs neceſſarium, illam admittere, vti veram, & certè impoſſibilem; occaſione ſi quidem illius vim, & robur eneruandi, & debilitandi, immò magis penitus annihilandi, confirmabimus ſupradicta omnia iura Religionis antiqua, & noua ſuſtinebimus inconcuſsè; nouamque adijciemus obſeruantiam ipſorum iuriũ. Cœterùm iterùm, atque millies proteſtor, quod nec vnum iota illius atteſtationis ego credo, nec à prudenti viro credendum iudico, ſed, vt dixi, ſuo loco, expoſita ioco fuit pro incutiendo timore alteri parti. Quis enim poteſt ſibimet perſuadere; optimates Religionis noſtræ poſſe atteſtari cum iuramento præſertim contra flauium perennis conſuetudinis Ordinis Seraphici? Quomodo credam, quod nec minus ſuſpicari de tantis Patribus poſſum, penes quos reſidet, & reſidere debet omnimodus noſtræ Religionis iurium zelus, & authoritas, immò, & Superiorum Generalium defenſio, & iuriſdictio? digni certè eſſent talium inuentores quacunque graui obiurgatione, ſi ſe manifeſtarent; quare cum nobis proficiat, ad veritatis purgatiorem indaginem; proinde permittamus, etiam impoſſibile, & inueriſimile, & ne videat documenta pro me duntaxat expendiſſe, pro parte autem facientia diſſimulaſſe, tanquam illorum vim ſubterfugiens, expendam hanc quoque, & examinabo.

9 Bipartienda eſt atteſtatio prædicta à principio, ſcilicet vſque ad illa verba: *Huiuſmodi autem Capi-*

tuli conuocationem &c. Et ſecundò, ab iſtis, vſque in finem: Prima pars poteſt cum diſtinctione admitti, ſed non abſolutè: Vicarios nanque Prouinciales, per canonicam electionem Definitorij electos, mortuo Prouinciali, debere durare vſque ad Capituli celebrationem poteſt dupliciter intelligi: 10 Illud enim verbum (*debet*,) vel poteſt primò referri ad tempus intermedium à morte Miniſtri, vſque ad Capitulum in arbitrio Generalis celebrandum, ſic, quod pro illo tẽpore, quo Generalis prorogabit, vel anticipabit veram electionem, debet durare, & nullo modo amoueri ab officio ſic legitimè obtento, abſque graui cauſa etiam iuridicè examinanda, & ſic concedo propoſitionem, ſiue teſtimonium relatum. Vel ſecundò, poteſt referri ad complementum triennij Miniſtri vacantis, ſic videlicet, quod non poſſit amoueri legitimè per ſubſequens Capitulum, nouamque electionem Miniſtri ad arbitrium Generalis faciendum, & tunc nego aſſumptum: Hoc ſi quidem verbum (*debet*) *ex Barboſa dict.* 77. plerumque inducit neceſſitatem, & præceptum; aliquando non importat neceſſitatem, vbi ſubiecta materia repugnat; quod accidit, quando (ſi importaret præceptum, ſiuè neceſſitatem) reſultaret abſurdus intellectus, vel alicuius iuris correctio; & ideò aliquandò exponitur pro *poteſt*, vt in caſu noſtro. Quod verò conſtanter aſſeritur in illa ſecunda parte de Capituli Conuocatione; & quod ſcilicet non

poſſit

poſſit anticipari, niſi completo triennio, & imminente triennij complemento vacantis Miniſtri, certè non video, quomodo talia poſſint affirmari, ne dicam ſomniari: Quia, etſi hoc ipſi ſupponant indubitatum, & ex diſpoſitione Statutorum Generalium, & ex inueterata conſuetudine, mihi tamen potiùs, & ex illis, & ex iſta, videtur aliter omninò philoſophandum, vti iàm ex præfatis euidenter fuit concluſum; En ergo quàm cæca ſit hominum mens, quàm pectora cæca, exponendo, quod nec poteſt ſuſtineri, nec defendi, præcipuè cum illa ſua Achillea concluſione, videlicet, *& ità in praxi fuiſſe ſemper obſeruatum, & in dies obſeruari.*

11 Verum enim verò, nonne videmus ex his, etiamſi concederetur, vt vera iſta atteſtatio, quod incidunt in Scyllam cupientes euitare Carybdim, & quia pro defendendo aliquali iure priuato vnius Vicarij offendunt grauiter ius commune, & præcipuum Religionis, immò, & maximè authoritati Superioris Generalis præiudicant, auferendo eiſdem arbitrium, iàm omni æuo poſſeſſum, & practicatum, de prouidendo Prouinciali Miniſtro in vacantijs, vti proprio, & legitimo Capite Prouinciæ viduatæ, ex Regulæ præſcripto?

12 Nihilominus, præter iàm dicta, & inferius ſuggerenda, duntaxat ſubiungam, quod, nedum nos inuitat, ſed & cogit, videlicet, quod ſi durare deberet vſq; ad complementum triennij iàm cæpti à Miniſtro defuncto; poſſet occurere caſus, quod in illo triennio

 aut

aut infrà triennium, iam proxima eſſet Miniſtri Generalis electio in Capitulo Generali; 13 Si ergo Prouincia eſſet orbata Miniſtro Prouinciali, ſolumque prouiſa de Vicario, non poſſet in illo Capitulo Generali, & electione Miniſtri Generalis, habere votum, quo non poteſt iure priuari ex Peir.Form. l.v.c.6.n.16. nec præſentiam ſui Prælati, qui poſſet negotia, & neceſſitates ſuæ Prouinciæ, immò totius Religionis pertractare, vt cæteri Miniſtri Prouinciales, & ſic ſine culpa eſſet priuata voto, cum quo per ſuum Miniſtrum debet accedere ad prædicta, ex grauiſſimo Regulæ præcepto. Manifeſtum eſt enim ex antiquiſſima, & indubitata voce maiorum noſtrorum, & præſertim ex Leone Decimo in ſua Bulla Vnionis: quod non poteſt eſſe legitima, & Canonica electio Miniſtri Generalis, & nequit fieri iuxtà Regulam Seraphicam, niſi à ſolis Miniſtris, & Cuſtodibus; & proindè ad tollendos ſcrupulos, & timores à cordatis Patribus omnes Vicarios Prouinciales, & Generales Obſeruantum veros Miniſtros, & Diſcretos eorundem declarauit veros Cuſtodes, nam Vicarius, vt ſic, nequit habere votum in electione, niſi authoritate ſuprema eidem ſpecialiter concedatur, dicant quicquid velint aliter ſuſtinentes.

14 Immò puto infallibiliter, quòd ſine vrgentiſſima cauſa, & neceſſitate, Miniſtri, aut Commiſſarij Generales non poſſint ſic faciliter huiuſmodi Miniſtri Prouincialis electionem retardare, quia, etſi eorundem arbi-

arbitrio, & prorogatio, & anticipatio Capituli pariter remittantur; 15 Arbitrium tamen ex Doctoribus allegatis à Barboſa, Clauſula X. num. 2. regulatur à Iure, vt pluries cenſuit Rota Rom. Si ius ergo noſtrum Religionis eſt, quod eligatur ſemper Miniſter, quàmcitiùs poteſt, & quod habeat votum in Capitulo Generali, quo iure fortiori poterit differre ſine cauſa Capitulum, & relinquere diù viduatam Prouinciam ſine ſuo proprio Paſtore? arbitrium ergo extēditur à ratione, & commoditate opportuna celebrandi Capitulum.

16 Vnum adhuc me angit, & certè maius mihi faceſſit negotium in hoc caſu, ne dicam quod conſcientiam magis vrget: Quod ſi Prouincia ſine propria culpa, nec vrgentiſſimo motiuo priuaretur tali voto Prouincialis Miniſtri, poſſet æquidem dubitari de electione Canonica futuri Miniſtri Generalis, ſine tali voto non legitimè retardato, neque opportunè prouiſo; per electionem nouam noui Miniſtri Prouincialis in vacantia anteceſſoris iuxtà Statuta Generalia, Pontificias Conſtitutione, & Vrbani 8. præcipuum diploma ann. 1625. emanatum, quod incipit, *Creditum humilitatis*, &c. ſuperius relatum.

17 Si quidem in C. Gen. extrà de electione; Vno eligentium expulſo, ſiuè neglecto, electio eſt nulla; expelleretur ſi quidem (ſiuè directè, ſiuè indirectè parum refert) Vocalis legitimus Regulæ noſtræ à Capitulo

tulo Generali: Poſſentque Superiores Generales doloſè differre electionem Miniſtri alicuius Prouinciæ, eo quia Vicarius eſſet ſuæ intentionis, & genij, non ſic verò Miniſter eligendus: Et hoc ferè eſſet idem, quod erat antiquitus, deprauata, ſcilicet, quædam conſuetudo, quam habebant Superiores, & Præſidentes in Capitulis ad effectum ſuarum faciendarum electionum, abſentium vota ſupplendi, & votum, & vocem, cui volebant tribuendi propria ſua authoritate: quæ quidem reuocata, & abolita fuit à *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *de regular. c.* 6. *Nec in poſterum, &c.* Immò alio ſuffragatore non legitimè introducto, aut malitiosè retardato, ſiue contempto, vel eſſet annullanda electio, vel ſaltem acriter propugnanda: *ex c. quod ſicut. c. bonæ. de electione.*

18 Non eſt igitur priuanda Prouincia, quæ & c. ſiuè plures, eorum voto à Regula præſcripto ſub peccato mortali. Non enim poteſt, nec debet diù differre electionem Miniſter Generalis friuolo quocunque prætextu; & hoc præſertim inter Reformatos, inter quos non adeſt Statutum illud de biennio Vicariatus pro obtinendo Priuilegio Paternitatis, ſicut inter Obſeruantes. Hoc ſi quidem eſt potius relaxatiuum, & præiudiciale, quam vtile; & non video, quomodo poſſit paſſim, & frequenter permittere Vicarijs hoc longum gubernij ſpatium, ſine mera neceſſitate, & Prouinciæ vtilitate. Libretur quidem æqua lance hoc aſſertum;

multùm

multùm enim valet per omnem modum; nec valeret obijcere huic dicto, quod eadem ratio eſſet de noſtro caſu,ac ſi moreretur in itinere Prominiſter aliquis, vel Commiſſarius miſſus ad Capitulum Generale ab impedito Miniſtro Prouinciali; tunc enim Prouincia remaneret ſinè ſcrupulo priuata voto; Reſponderem ſiquidem non valere ſuppoſitum, tunc enim Prouincia non priuaretur à malitia hominum, ſed à Prouidentia Dei, quæ ordinariè, & ſuper omnia fortiter, & ſuauiter diſponit omnia. 19 Quæ omnia nequeunt adaptari Vicario Prouinciali; Vicarius ſiquidem, vt Vicarius, & vt ſic, quemadmodum ſæpè eſt iàm dictum, nec habet votum in Capitulo Generali, nec habere poteſt, ſine ſpeciali priuilegio Papæ, vel Religionis: Nec vllo modo poteſt ad ipſum mittere Prouicarium, nec Commiſſarium, vt patet; niſi obſtinatè, & firmiter velint contendere, & ſimul obtendere, poſſe Vicarium ſuffragari vti Miniſtrum, quod tamen nullo vnquam tempore apparet fuiſſe eidem conceſſum, nec verbis, nec ſcripto, niſi ex alto, & ex chimera dixerint admiſſo; neque vlla poteſt admitti conſuetudo contra Regulam, & contra ius commune, ſi rationabiliter volumus operare, & ex Iure gubernari, &c. vti dicemus in nu. 179.

20 Hoc enim eſſet verè ſupplere votum; quod eſt à Conc. Trid. prohibitum: ſuppleret ſiquidem votum Miniſtri defuncti, cum nullo alio titulo hoc poſſit

eidem

eidem competere, nec permitti de Iure, neque in Capitulis tùm Generali, quàm Prouinciali ſuffragari ex Statutis Generalibus, præſertim ann. 1642. ſic decernentibus, abſentium vota ſuppleri non poſſunt; nec alicui ſuum votum committere, aut per Procuratorem ſuffragari liceat: cap. 8. §. 4. n. 14. Infra hoc ſigno num. 171.

Inſuper quis non applaudet veritati? Corde cogitemus rogo equidem ſi Capituli Prouincialis celebratio, non conceditur, vt concedit Vrbanus 8. in ſuo Breui, & vt ſupponit, certè non video, quomodo poſſit defendi, & tueri iuſtè ius Religionis commune, particulare Superiorum Generalium, & ſpeciale Prouinciæ;
21 Vel non dubitare de expreſſo grauamine eiuſdē, vt tactum eſt ſuprà. Quis enim dicet Generalem non nocere Prouinciæ in multis, ſi ſine exploratiſſima cauſa, & religioſiſſimo motiuo non prouidebit quàmcitiùs de Superiore, ſiuè Miniſtro Regulæ? Item quis cordatus, & probus affirmabit Vicarium, ſic electum à ſolis tribus, quatuor, quinque, vel ad ſummum ſex, ſit ſufficiens ad moderãdam Prouinciam, vt decet? Deus ſcit, ego certè neſcio; ſed dato, quod talis eſſet, quis eſt certus, quod non ſit ſecundum aliquorum proprium iudicium, & affectum, & proindè non à tota Prouincia approbandus, quia non omnibus carus, & gratus?
22 Concedamus omnia prædicta. Quis tandem negabit, quod electus à Prouincia tota non ſit futurus

omnibus

omnibus carior? Indubitatum eſt equidem, quod per nouam Capituli celebrationem, ſi non conuenientiùs, ſaltem conuenienter prouidebitur fratrum neceſſitati, & libertati.

Sed quid audebimus dicere de Concluſione Achillea papyri, ſi tamen fuit expoſita, quod non eſt certè credendum? Concludebat atteſtatio his verbis, vt dictum eſt, *Et ita in praxi fuiſſe ſemper obſeruatum, & in dies obſeruari &c.* Poteſt ne Mehercule, concedi huiuſcemodi concluſio?

23 Obſeruo equidem, quod nomine conſuetudinis duo veniunt, frequentiam nempè actuum, ſeu operationum ſimilium, quæ frequenter facti conſuetudo vocatur; & quod ex tali frequentia reſultat; moralis ſcilicet quædam facultas, ſeu poteſtas liberè agendi hoc, vel illud, quod frequentatum eſt, & hæc vocatur conſuetudo Iuris, ſiuè Ius conſuetndinis legalis, *ex Iſidoro lib. 5. c. 3. & alijs paſſim.*

24 Videamus porrò quales debeant eſſe actus, ad hoc, vt conſuetudo legem abroget, & tollat, & ius inducat. Igitur actus, vt notant Doctores *in l. de quibus ff. de legib. & alibi. apud P. Donatum de lege tract. 1. qu. 22.* ad finem introducendi conſuetudinem multa exigunt. Et primò debent eſſe frequentes, & continuati, vt dictum eſt, & conſtat ex eius definitione, & debent fieri à tota Communitate, vel à maiori eius parte per modum vnius, quia Communitas ſe habet, vt vna perſona

perſona ficta; & ſic licèt ſinguli operentur per ſe, vt patet in obſeruatione ieiunij, & alicuius feſtiuitatis, tamen reſpectu Communitatis dicuntur eſſe vnius perſonæ fictæ ſolummodò: Hinc etſi hi actus in ordine ad ſingulares perſonas, videantur multiplices, & in magno numero, tamen reſpectu dictæ Communitatis ſunt pauci, quia omnes actus ciuium in ordine ad Communitatem dicuntur vnus actus, quia fiunt, vt dixi, per modum vnius perſonæ fictæ, & vnius voluntatis.

Secundò: Hi actus oportet, vt publicè fiant, & hoc propter duo: primò, vt omnes, vel maior pars Communitatis, videatur conſentire, & conuenire: ſecundò, vt talis conſuetudo quantum eſt ex ſe poſſit eſſe nota Superiori, cuius conſenſus deſideratur, & eſt neceſſarius pro eadem introducenda: Hi autem actus, & operationes, duplici modo poſſunt eſſe publici, & notorij: primo modo publicitate, & notorietate facti, prout eſt, quando fiunt publicè, & manifeſtè in conſpectu aliorum. Secundo modo, notorietate iuris, vt quando fiunt publica authoritate, & iuridicè, vt ſententia Iudicis, & ipſo Legislatore authore. Et prædicti actus, ſaltem primo modo debent eſſe publici, nam ſi fiunt occultè, & furtiuè per talem modum operandi clandeſtinè, datur intelligi, quod non fiunt de communi conſenſu, & ſic non erunt apti ad inducendam conſuetudinem: Hæc etenim coaleſcit ex communi conſenſu,

ſenſu, primò, & minus principaliter. Secundario autem, & completiuè, & magis principaliter ex conſenſu Superioris: ergo vtriuſque conſenſus erit neceſſarius pro introducenda conſuetudine.

Tertio: hi actus debent eſſe voluntarij, & liberi, quia actus humani in tantum fundant cõſuetudinem, in quantum indicant, & manifeſtant cõſenſum Communitatis; quod tamen non fit ſi non ſint liberi, & voluntarij: Proindè actus facti per ignorantiam, errorem, & violentiam, non poſſunt inducere conſuetudinem, quia inuoluntarij, prout omnium eſt vna ſententia: Dicitur enim, quod vis, metus, error, & ignorantia, impediunt, vel tollunt liberum conſenſum neceſſarium ad fundandam conſuetudinem.

Quartò: quod eſt valdè neceſſarium, ne dicam ſimpliciter requiritur, vt hi actus non ſolum ſint publici &c. vt dixi, ſed quod maius eſt, quod fiant ab ipſa Communitate, cum intentione inducendi conſuetudinem legalem, & obligationẽ, quia ius conſuetudinariũ facti, ſeu quoddam materiale exercitium, ſine voluntate obligandi, nihil refert: vt quando ex deuotione introducitur aliqua feſti celebratio, vti pluries factum eſt, & paſſim videmus, ex deuotionibus diuerſis Populorum &c. quæ quidem non ſunt introductæ animo ſe obligandi, ſed ex deuotione, & ſine obligatione peccati, ſiue perſonæ; de quibus videndus omninò *Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. c.* 18., qui quidem animus,

ſiue

ſiue intentio ſe obligandi, per coniecturas, ad iudicium prudentis viri arguitur ex multis, inter quos potiſſimè videtur communiter, quæ habetur ex longo tempore grauitate rei, & difficultate; & quia ab omnibus ferè ſeruatur; quia non ſolet Communitas vniformiter conuenire in his actibus, niſi quando ex obligatione fiunt; vel ſi prudentes viri malè ſentiunt de his, qui talem non obſeruant conſuetudinem, & ſcandalizantur, vt ita dicam; vel ſi Superiores grauiter puniant tranſgreſſores. Hæc enim, & ſimilia, magnum dant iudicium de &c. & in dubio magis eſt tenendum, quod ſit ex deuotione, quam obligatione &c.

Obſeruandum inſuper arbitror ex aduerſo, quod vnicus actus quamtumuis notorius non ſufficit ad inducendam conſuetudinem, ſed benè eſt ſufficiens ad interrumpendum vnicus actus contrarius, vel difformis, etiam ſi mille actus ſtent pro conſuetudine. *Bart. in d. l. de quibus. Et alij, præſertim Farin. p.* 1. *tit.* 1. *dec.* 65. *num.* 16.

Quinto: Conſuetudo eſt ſtricti Iuris, ſtrictèque interpretanda, & probari debet per allegantem in indiuiduo, eaque probatio eſt multum difficilis, nec ſatis probatur per tolerantiam, cum multa per patientiam, metum, timorem, & ignorantiam tolerentur, quæ ſi fuerint in iudicio deducta, exigente Iuſtitia, tolerari non debent: *Ludouiſ. deciſ.* 162. *num.* 6. Nec creditur Doctori etiam inſigni de conſuetudine atteſtanti,

ſed

ſed probari debet per illum, qui ſe fundat in illa. *Rot. apud Cou.deciſ.*123.*num.*27.28.*&c.* Immò ſcientia Superioris requiſita ad legitimam conſuetudinem debet eſſe ſpecialis, & indiuidua, nec ſufficit cognitio generalis, ſicut nec voluntas Superioris permittentis, ſed debet eſſe approbantis, cum eadem poteſtas requiratur in legis abrogatione, quæ requiritur in eius editione, multa enim per patientiam, & humanos reſpectus tolerantur, &c. Sic vſitatior opinio Doctorum ex *Fagnan. in* 4. *lib. Decret. c. vtrum autem; de cognat. ſpirituali.*

Quamobrem ne aſſerentes de conſuetudine introducta effugiant vim Conſtitutionum noſtrarum, & Iurium; ſuggero, quòd eſt ſpeciali conſideratione dignum, & quid præcipuè inter alia conſtare debeat de illa, vt votum poſſit concedi in Vicariorum gratiam, & commodum: præceptum videlicet electionis Miniſtri Generalis, quia cum ſit de præceptis (ſaltem obiectiuè) noſtræ Regulæ, & Inſtituti, non video, qua ratione poſſit ſic facili negotio abrogari per cerebroſam conſuetudinem, quæ potiùs deſuetudo, & corruptella ſit appellanda, quàm legitimus vſus, & verè Nouatorem à P. Sanctorio ſuppreſſo nomine citatum, vbi ſuprà, benè noui, eiuſque obiurgationem contrà dictum Patrem noſtrum legi, & ſæpius perlegi, & quicquid typis ipſe mandauit, & publicauit non parum examinaui, & expendi, & certè coactus fui mei intel-

lectus imbecillitatem confiteri: nil enim in ſuo ſcripto penitus reperi ſoliditatis, & roboris, excluſa mera quadam diſputatione Methaphiſica, & argumentatione Cathedratica, minimè vero Apoſtolica. Et faxit Deus, quòd ad talium, & qualium non peruenerit manus ipſius oppugnata quæſtio, quia facilè erit inuentis addere, & cum cæco in foueam cadere, ne peiora aſſeramus ex modeſtia.

Noui nil minus ferè in omni Capitulo Generali, & Congregatione nouas frequenter manaſſe leges, nouaque conſulta circa electores præcisè Miniſtri Generalis, & præſertim in vltima Compilatione Statutorum ann. 1663. cap. 8. §. 10. quam manauerint de præceptis relatis à dicto P. Sanctorio; ac proinde nil minus vtiquè obſtare cuicunque prætenſæ conſuetudini introductæ, ac introducendæ Statutorum Generalium publicatio continua, ne huiuſmodi coaleſcat vſus in Ordine, & Prouincijs: patet enim quòd ſi vim haberet conſuetudo allegata à nonnullis, aliquo modo pro illa, vel contra illam aliquid concluſum fuiſſet, vel decreuiſſent omnes Miniſtri, & Cuſtodes totius Ordinis ſimul congregati, vel ſaltem illi, in quorum Prouincijs iàm ipſa vigeret: quia *ex Tertulliano in lib. de Coron. milit. Traditio rerum prætenditur nobis aurix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſeruatrix.*

Deindè ſeriò perpendendum præceptum de ſolis

Miniſtris, & Cuſtodibus vocandis ad Capitula Generalia eſſe ſic priuatiuè quoad alios, quòd ex omni æuo habeatur expreſsè, ijs ſolummodò competere electio Miniſtri Generalis; alioſque excludendos, niſi forſan à Pontificibus, vel alia ſuprema authoritate Religionis aliter fuerit ordinatum, vti ſæpè, ac ſæpius occurrit pro differentijs temporum; Quia etſi fuerit aliquando hoc idem concuſſum præceptum per additionem extrà, vel præter Regulam, dilatato iàm nimis Ordine noſtro Seraphico, legitima tamen poteſtate, & ſufficienti iure hoc factum fuit frequenter, vt ex monumentis Minorum habemus.

De electione verò Miniſtri Prouincialis certè ex Regula non habemus determinatos electores: Conſtitutiones Ordinis porrò de eiſdem decernunt quinam debeant eſſe, ſecundum varietatem temporum: Et quia Conſtitutiones Apoſtolicæ iàm relatę Clementis Octaui videlicet, & Gregor. XV. continent circa hoc Decretum irritans, proindè non poteſt dari conſuetudo legitima.

Conſuetudo etſi aliqua daretur in vna, vel altera Prouincia, per vnicum, vel duos actus introducta, nullis alijs concurrentibus conditionibus, & circũſtantijs verè conſuetudinis non poteſt obligare alias, quacunque nulla præſertim habita notitia de illa.

Sed dato, & millies non conceſſo, quod præualeret pro toto Ordine conſuetudo vnius Prouinciæ; ſi in-

Prouincia diuerſa, & in ſimili caſu, & occaſione interrumperetur illa conſuetudo antedictæ Prouinciæ eſſet ne abrogata illa conſuetudo, per quam prætenditur, quòd poſſit concedi votum in electione Miniſtri, introducta in illa alia Prouincia?

Diceretur forſan, quod tunc abrogaretur ſolùm in illa Prouincia, in qua interrumpitur conſuetudo per actus contrarios, ſed non in prima, in qua continuatur; quod quidem non ſit rationabiliter dictum iudicent Doctiores: ſi enim per actum vnius Prouinciæ obligatur totus Ordo, quare non per interruptum è contra?

Vndè habetur, quod vnquam vllus fuerit admiſſus Vicarius Prouincialis in Capituló Generali, cum nunquam fuerit diſpoſitum de illis, nec de eius ſeſſione, citatione, & voto? vt patet ſæpè in Statutis Generalibus, & præſertim in compilatis ann. 1663.

Quare allegatio vniuerſalis duntaxat iuriſdictionis plenæ in Vicarijs in locum Miniſtrorum ſuffecti, pro ſupplendo neceſſario regimine Prouinciæ poteſt inferre, quod communiter dicitur, quod ſicut habet authoritatem, ſic debet habere votum, &c?

Patet ergo, quod ſaltem de omnibus prędictis, quod debet de his omnibus primò conſtare Superiori Legiſlatori, antequam obliget quoſcunque, cum non ſufficiat cognitio ſingularium, nihil, aut parum curantium de vera obſeruantia rerum.

Circa noſtram materiam, vt mox dicemus, eſt aſſerendum, quod, ne dum ex binis actibus, ſiuè exemplis electionis noui Miniſtri in vacantijs, poſſumus inferre nouam conſuetudinem, tàm iuris, quàm facti, etiam ſi non eſſet in ordine noſtro antiquiſſima pro defendenda, & accerrimè ſaluanda libertate, immò potiùs arbitrio Generalis Superioris, ſed ex quàm multis, vti videbimus.

Audite ergo, ſupplex oro, ò vos, qui ſic temerè fictis nominibus audetis exponere, quæ ſomniatis, & ignota ſufficitis nomina, quia ignotum eſt, quod exaratis; Quid ex in prætenditis, & præſumitis? Forſitan ſub illorum vmbra deliteſcere, & ipſos inculpare? Apagè: Si enim creditis in Deum, & eius veritatem, dictis, & exemplis credite; Patent nanque hæc eadem lippis, & tonſoribus. Hoc ſufficit, quod; nec tantiſper ſuſpicari poſſum de ipſa atteſtatione, prout iacet; Nimis enim aberrat à vero, nec quiſquis in Religione ſic diffuſa, poſſet vllo modo admittere.

Exempla moderniora, & vera.

25 PRimò. In Prouincia Terræ Laboris Regni Neapolitani ſic occurrit caſus. P. Aloyſius à Cruce Miniſter Prouincialis eiuſdem Prouinciæ diſceſſurus à Regno pro celebrando Capitulo Gen. Toleti in Hiſpania reliquit Commiſſarium Prouinciæ,

Patrem tunc Sebaſtianum à Caeta, digniſſimum poſtea,&Reuerendiſs.Commiſſarium Generalem Familiæ Ciſmontanæ tàm Obſeruantum, quàm Reformatorum; Sed mortuo in itinere eodem P. Miniſtro, ſubſtituitur à Statutis Vicarius Prouincialis in Prouincia idem P. Caeta ſapientiſſimus Hæros noſtri Inſtituti; hoc tamen non obſtante, & quod Prouincia eſſet optimè prouiſa ſimili Viro: Superior Generalis non vſus eſt (vti pars prætendit) arbitrio pro complemento triennij, ſed Viſitatorem deſtinauit anno 1633. pro celebrando Capitulo, & nouo Miniſtro eligendo, ne viduata diù remaneret Prouincia ſuo vero Paſtore, & Patre.

Meſſanæ in Sicilia circa ann. 1638. (ni fallit relatio) per mortem Miniſtri P.Ceſaræ, non obſtante electione Vicarij Prouincialis,nouus fuit electus Miniſter P. Caputius.

Anno 1643. Idem P. Reuerendiſs. Caeta deſtinatus fuit à Superiore Generali Viſitator ad Prouinciam Marchiæ,vt aſſeritur,pro prouidẽdo de nouo Miniſtro, poſt mortem anteceſſoris, etiam ſi iam ibi eſſet electus Vicarius Prouincialis.

In defectu Miniſtri Prouinciæ Bononienſis ann. 1646. (ni fallor) ſuffectus eſt Miniſter P. Iacobus à Rocca de Ieſſi etiam abſens, & in Regio Monaſterio S. Claræ Neap. Confeſſarius, & in ſpatio menſtrui itineris, & calamitoſi ad primum ſuæ Prouinciæ Conuentum

uentum peruenit, & acceptis ſigillis ægrotauit, & ſequenti nocte deceſſit, & requieuit in pace. Quo decedente ſtatim eligitur Vicarius ad formam Statuti, & continuò Reuerendiſſ. P. Ioannes à Neap. prouidit de Commiſſario, pro eligendo nouo Miniſtro, qui fuit P. Fidelis à Luca.

Papiæ, renunciato Miniſteriatu à P. Innocentio de Papia mihi additiſſimo, poſt annum ſui Officij, idem Reuerendiſs. P. Caeta Viſitatorem delegauit pro electione noui Miniſtri pro ſequenti triennio ad formam Vrbani Decreti, an. 1625., & electus P. Conſtantinus à Papia an. 1652. ſi benè recordor.

Romæ ann. 1652. vacauit Miniſteriatus Reformatorum; regebat Vicarius Prouincialis P. Paulus à Lauda; & nihilominus fuit conuocatum Capitulum, & inſtitutus nouus Miniſter P. Angelus à Bergomo.

Apud Obſeruantes Prouinciæ Vallis Nothi, mortuus eſt P. Spaccafurnus; electus Vicarius pro interim iuxtà Conſtitutiones; & poſt multos menſes an. 1652. electus P. Eraſmus de Modica.

Hoc idem occurrit in eadem Valle, per renunciationem P. Marij à Lentino Miniſtri, & electo Vicario P. Angelico à Plazza, Superior Generalis nouam anticipauit electionem alterius Miniſtri, ſi vera eſt relatio mihi tranſmiſſa.

In Prouincia Principatus apud Neapolim, poſt mortem Patris MontisCoruini Miniſtri à Reuerendiſs.

P. Caeta miſſus eſt Viſitator P. Angelus de Politio, cum ſpeciali mandato, vt congregaret Patres Vocales deputatos, electioni præſideret Vicarij Prouincialis, ſi nondum erat facta; & Prouinciam poſtea viſitaret pro celebratione Capituli, nouique Miniſtri electione, ann. 1653.

Et tandem in Baſilicata Prouincia, defuncto P. Ferrandina, & ſepulto, eligitur Vicarius à Definitorio, vt mos eſt, & idem P. Caeta ordinauit Viſitatori, quod non obſtante Vicario regente Prouinciam, nouus eligeretur Miniſter, quod exequutum eſt ann. 1658.

Et multa alia mihi tranſmiſſa, quæ nolo referre, ne tædio ſim potiùs, quàm genio: Hæc ſunt, quæ breui manu potuimus à diuerſis audire. Iàm ſunt veriſſima, & indubitata. Annus non ſic certus, ſed parum diſtans à vero. Facile eſt inuentis addere.

Quid ergo dicemus ad hæc? quæ fuere expoſita vti vera, ſpeculauimus? nequaquam. Impoſſibilia gloſauimus? nec minus: Veriſimilia credidimus? abſit. Vt vera ſolum admiſſimus, vt veriora inferemus. Falſitatem inſequuti ſumus, vt veritatem aſſequeremur: & ſic ex tot manifeſtis propoſitionibus, concluditur vera concluſio de noua conſuetudine, ſaltem quando non concederetur iàm probatus peruetuſtus mos, & vſitatus, per tot ſæcula noſtri inſtituti Seraphici, & hæc omnia poſt Breue Vrbanum. *Creditum humilitis, &c.* Et ſic ſecundo hucuſque nauigauimus

vento,

vento, nunc autem Nauis hæret in Vado ſyrtibus prę-duris alliſa.

Placita de voto Vicarij.

OCcaſione à prædictis omnibus deſumpta, teneri videor ad clarius digerendam materiam voti Vicarij Prouincialis in vacantijs Miniſtrorum; An, ſcilicet, habeat votum, & ſuffragium tàm in Capitulis Generalibus, quàm Prouincialibus, eo modo, quo fruuntur Miniſtri, eo quia ſuccedunt in omnibus Iuribus, & authoritate eorum; Et ſic ſtabilienda videtur firmioribus fundamentis hæc doctrina, vt cunctis innoteſcat, quicquid ſit verè ſentiendum de hoc firmando Iure Prouinciarum, circa electionem noui Miniſtri in vacantijs, ne præiudicentur in voto pro Capitulo Generali, vel omni meliori modo in futurum prouidendum.

Et certè rem difficilem aggredior, quia contra opinionem communem, fundatam tamen ſolummodo in veriſimilitudinibus, iam quaſi permittentem contrariam conſuetudinem, ne dicam verè abuſum; contra Regulam nanquam noſtram non poteſt dari contrária conſuetudo, præſertim contra præcepta eiuſdem, vt dicetur infra. Et (faxit Deus) quod meũ dictum ſit ſine alicuius offenſa; quam certè proteſtor me vnquã intendere, ſed eſſe omninò præter, immò contra intentio-

tentionem, & mentem, ea ſi quidem proponere duntaxat intendo, & exponere, quæ Iuri, rationi, Religioni noſtræ, & Prouinciæ obligationi, magis ſunt conſona, vtilia, & iuſta: Præmittendo in primis nonnullas conſiderationes, quæ perfectè compræhendent, & plenè, quæ poſſunt controuerti his noſtris temporibus; ſciantque omnes, quid iuris habeant, & priuilegij noſtri Vicarij Prouinciales ſubrogati in locum Miniſtrorum vacantium, (& non Vicarij, vt ſæpe dictum eſt, Obſeruantum antè tempora Leonis X.) ne quis proindè deuiet à vero ex ignorantia, nec minus perturbetur Religioſorum pax, & concordia.

1 Quod ergo ſoli Miniſtri, & Cuſtodes ſint veri, & legitimi ſuffragatores, & Vocales Capituli Generalis, præſertim pro ſupremi eorum capitis, & ſucceſſoris Seraphici electione, non iniocundè licebit colligere, ne dum ex Regula ipſa noſtri Inſtituti, ſed ex omni noſtræ Fraternitatis lege, & Statuto, & æuo.

Regula ſi quidem ſic ait in cap. 8. *Vniuerſi Fratres vnum de Fratribus iſtius Religionis teneantur ſemper habere Generalem Miniſtrum, & ſeruum totius Fraternitatis &c. Quo decedente, electio ſucceſſoris fiat à Miniſtris, & Cuſtodibus, in Capitulo Pentecoſtes, in quo Prouinciales Miniſtri teneantur ſimul conuenire, vbicunque à Generali Miniſtro fuerit ordinatum. Et ſi aliquo tempore appareret vniuerſitati Miniſtrorũ Prouincialium, & Cuſtodum, prædictum Miniſtrum non*

eſſe

eſſe ſufficientem ad ſeruitium, & communem vtilitatem Fratrum, teneantur prædicti Fratres, quibus electio data eſt, in nomine Domini alium ſibi eligere in Cuſtodẽ. Quæ Regulæ verba fuerunt certè ſic in toto Ordine per omne tempus obſeruata, quod niſi poſt multum temporis à primo æuo tranſacti, præter deſignatos à S. Frãciſco electores, Miniſtros, 2 & Cuſtodes, fuerunt admiſſi ad ſuffragandum varijs legibus, (an validis, incertum,) Commiſſarius Generalis Familiæ, Commiſſarius Generalis Indiarum, Officiales Curiæ, Definitores Generales, alijque, quorum valorem, & authoritatem, non placuit *A. R. P. Vuadingo in ſuo tom. 8. annal.* Trutinare dignis de cauſis.

3 Omnia deinde Capitula Generalia in monumentis Ordinis deſcripta, iàm in hoc idem ſemper conſpirarunt, & indubitatè apparuit exequutum, ſed præcipuè expreſſis verbis, & notis, in Capitulis Generalibus 24. 36. 44., & luculentiùs à primò Generaliſſimo Obſeruantum Cætu celebrato ann. 1517., tempore Leonis X. ſecundum Bullam Vnionis cum Conuentualibus, & aliarum Congregationum Reformatarum Patribus, vſque ad annum 1658. Vt enim refert idem P. Vuadingus noſter Annaliſta ex Originali Vaticano: inter cætera diſpoſita in illa Bulla Leonina, *Ite, & vos in vineam meam, &c.* hoc vnum eſt ad litteram. *Electio verò ſucceſſoris fieri debeat à ſolis Miniſtris Prouincialibus, & Cuſtodibus iuxtà Regulam S. Franciſci;*

ciſci; & ſic paſſim eiſdem verbis omninò ordinatur in ſequentibus Comitijs Generalibus. 49. 55. 56. 62. 66. &c. *Vide illa in Cronologia Ordinis: pag. 647. vbi ſic decernitur in* §. *de Generali Miniſtro*. In Capitulo Pentecoſtes eſt nouus Generalis Miniſter eligendus à Prouincialibus, & Cuſtodibus, & reliquis Vocalibus authoritate Apoſtolica cõſtitutis. Et in Statutis nouiter compilatis ann. 1663. cap. 8. §. 10. idem confirmatur.

4 Notandum inſuper ex totius Religionis noſtræ inſtrumentis, & chartophilacijs, quòd nullum penitus inuenitur Statutum explicitè, nec implicitè concedens votum Vicarijs Prouincialibus in Capitulis Generalibus pro electione Miniſtri Generalis; 5 Solummodo (vt iam fuit dictum) votum habuerunt in electione Vicarij Generalis in caſu tamen, quo Miniſter Prouincialis Prouinciæ, in qua deceſſiſſet Superior Generalis non eſſet mortuus, & ſubrogatus aliquis in Vicarium Prouinciæ eiuſdem, qui loco Miniſtri vacantis præſideret electioni huiuſmodi.

6 Sed poſſet forſan hic obijci à ſtudioſiſſimis Viris, quòd aliàs mihi fuit oppoſitum, his præciſis verbis contra noſtrum aſſertum, ſic. Sicùt ſe habet Vicarius Generalis ad Religionem, ità ſe habet Vicarius Prouincialis ad Prouinciam; ſed primus habet votum in Capitulis Generalibus, & Prouincialibus, vti Pater Ordinis, & vtriuſq; Familiæ, ergo, & ſecundus. 7 Quamobrem antè alia dicenda; ego item addo ſimilem oppo-

ſitionem,

ſitionem, ſic. Sicut ſe habet Vicarius Prouincialis ad Prouinciam, ita ſe habet Vicarius localis ad Conuentum, (loquimur de Vicario poſt mortem Guardiani deputato à Definitorio, ſiue, vt verius dicitur, de Præſide Conuentus in vacantia Guardiani,) ſed Vicarius Prouincialis habet votum per vos in Capitulo Prouinciali, ergo & Vicarius Conuentus habebit votum in Capitulo Prouinciali. 8 Vel ſic. Sicut ſe habet Vicarius Prouincialis ad Capitulum Generale, ſic ſe habet Vicarius Conuentus ad Capitulum Prouinciale, ſed per vos opponentes, Vicarius Prouincialis habet votum in Capitulo Generali, ergo & Vicarius Conuentus habebit votum in Capitulo Prouinciali. Aſſignetur ergo ex mera gratia differentia, & diuerſa ratio, ſi quæ eſt; Vtrobique enim videtur par ratio, & argumentatio ſimilis.

9 Proindè enucleanda eſt hæc materia diligentiſſimè, ne in æquiuocis laboremus. Vel igitur Vicarius Prouincialis habet votum, ſicut mortuus Miniſter, eò quia ſuccedit in omnibus iuribus, & eadem iuriſdictione; vel quia conceditur ei à Summo Pontifice, Regula, vel Statutis Religionis: Non ſecundum, quia Regula duntaxat habet ſuos electores Miniſtros, & Cuſtodes: Non Pontifex conceſſit, quia non inuènitur hoc, niſi Vicarijs Obſeruantium conceſſum: Non Statuta Religionis, quia reſpectu electionis Miniſtri Generalis in Capitulo Generali nec verbum quidem habemus

bemus in tot monumentis; 10 Nec minus eſt verum, quod habeat, eo quia ſuccedat in omnibus Miniſtro Prouinciali, vti dicemus; ergo falſum aſſumptum. Attamen ſi daretur, quod per ſubrogationem haberet votum, peto, qua ratione hoc non poteſt concedi Vicario Conuentus votum, qui ſuccedit, & æquè in cunctis Guardiano, qui eſt proprius Vocalis Capituli Prouincialis? Aſſignetur igitur ratio diuerſitatis: 11 Si dicerent, quod eſſet, quia Vicarius Prouincialis eſt Prælatus, ſicut Miniſter, reſponderem, quod, etſi ſit verum, quoad Prælaturam abſolutè, nõ tamen, quoad Prælaturam per ſe. Sed dato hoc item: Quis neget Præſidem, ſiuè Vicarium Conuentus poſt mortem Guardiani eſſe verè Prelatum, ſicut & Vicarius Prouincialis?

12 Et ideò eſt obſeruandum, quod votum habent electores omnes, vel ex Regula, ſiuè Statutis, vel ex officio, vel ratione iuris priuati: Ex Regula, in quam, vti diximus de Miniſtris, & Cuſtodibus, in electione tamen Miniſtri Generalis; Ex publico officio, vt ſunt Guardiani, & Diſcreti mittendi ad Capitulum Prouinciale. Reſpectu verò iuris priuati, vt ſunt ceteri Fratres ſubditi in electione prædicti Diſcreti, ſiuè in admiſſione ad profeſſionem, & ſimilia: ad quod ius priuatum etſi poſſet redaci Vicariorum Prouincialium votum, ſiuè ex officio publico; hæc tamen reductio non eſſet ſic germana, & legitima, ſine ſpeciali declaratione, vel

Summi

Summi Pontificis, vel totius Religionis, de eius mandato, & licentia.

13 Immò ex Statuto Capituli Generalis 63. ann. 1600. videtur non admitti aliquis titulus ab his tribus, nempè conſuetudinis, eò quod ſic declarat Capitulum Generale pro vtraque Familia. *Electiones omnes in Capitulis Prouincialibus faciēdas eſſe per omnium ſuffragia, qui iuxta Generalia Ordinis Statuta, vel cuiuſcunque Prouinciæ debita authoritate facta, vocem actiuam ſoliti ſunt habere in dictis Capitulis, ſeruata in omnibus Sanctiſs. D. N. Clementis Papæ* 8. *Conſtitutione, annullante Neapolitanam Conſtitutionem, & omnes alias ſimiles &c.*

Per quod Statutum confirmatur vulgare axioma 120. Barboſç, quod ſcilicèt in omni diſpoſitione: Incluſio vnius eſt excluſio alterius: Si ergo ſoli Miniſtri, & Cuſtodes ex Regula includuntur, cęteri in Statutis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis nō permiſſi, vel iuſſi, & ſic non incluſi, excluduntur; ac proindè non eſt mirum, quod Pater Vuadingus noſter nominet, ſiuè declaret, pręceptum Regulę noſtrę concuſſum propter addictionem electorum extrà Regulam, & ſi ſint admiſſi à Statutis, pręcedente Pontificia conceſſione, ſiuè diſpenſatione: *Annal. Minor. tom.* 8. *ann.* 1529. *n.* 23. Quid ergo diceret, ſi ſuo tempore cognouiſſet introductam conſuetudinem ab aliquibus duntaxat, legitimam?

14 Inſuper,

114 Inſuper, vt appareat euidentiùs hęc excluſio, ſic illam infero, ex alijs Statutis Generalibus, vel ſaltem arguo ſatis clarè. In Capitulo Generali 63. §. de Diſcretis Prouinciarum, deſcribendo accuratiſſimè Diſcretos tùm Ordinis, tùm Prouinciarum, enumerat inter Diſcretos Ordinis pręcisè Vicar. Generales, & ViceCommiſſarios Generales, ſecundum Bullam Vnionis, & Ordinis Statuta electos, nunquam verò inter Diſcretos Prouinciarum deſcribit Vicarios Prouinciales, non obſtante, quod omnes alios, quibus cōpetit, & competere poteſt ſuffragium, & Vox, luculenter ſatis connumeret. En igitur, quod excluduntur Vicarij noſtri Prouinciales, & non Vicarij Generales.

Item, conſideratione non minus dignum eſt, quod arguitur ex Conſtitutionibus Salmant. & Valliſolet. ann. 1593. ac item ex Statuto Romano ann. 1642. iſta nanque ſufficienter intentum demonſtrant, ex loco competente Vicarijs Generalibus in Comitijs Ordinis noſtri, cum per biennium officium exercuerint: Concedit ergo, & pręſcribit eiſdem locum in Seſſione Capituli propè Miniſtrum Generalem: nec vllo modo nominat locum dandum Vicarijs Prouincialibus, dum nominat Miniſtros, & Cuſtodes: & tamen, ſi aliqua poſſet eſſe conjectura, iudicium, aut pręſumptio, in fauorem Vicariorum Prouincialium, per quam dicerentur accedere ad Comitia Generalia, certè non ſic leuiter, & ſemper eſſet tranſcu-

rata memoria iſtorum Vicariorum ſine cauſa.

Clarum eſt .n., quod non poſſumus addere, nec vnũ votum in electionibus Prelatorum ſine legitima facultate. 15 Quinimmò nec ipſum Generale Capitulum, etiam de conſenſu maioris partis poteſt permittere, ſiue concedere, vt qui non habet votum in Capitulo, illud habeat, & ſuffragetur in illo, vt cæteri; quia, etſi hoc aliqui defendant, & affirment cum conditione, niſi totum Capitulum concors ſit, nulluſque diſcrepet Vocalium, quia agitur de præiudicio ſingulorum: Ego tamen cum P. Donato Predicatorum Ordinis Illuſtriſſimi, abſolutè ſentio negatiuè, etiamſi omnes conſentiant, quoad vocem electiuam Prælatorum, præſertim Regularium, ex quo in electione, & Capitulo, illi tantum debent eſſe præſentes, quibus ex Regula, Statutis, Officio, & de Iure Canonico, vel ſpeciali competit intereſſe, nec ſtat in poſſe Capitulantium aliquem habilitare ad eligendum, niſi iuxtà Statuta, & priuilegia à Papa conceſſa, vel confirmata, vti iam diximus. Et hoc colligitur *ex cap. Quia propter de electione ibi*, qui debent intereſſe &c. Et proindè de iure Præſes, ſiuè Præſidens cuiuſcunque electionis debet expreſsè proteſtari, & tacitè intelligitur proteſtatus in illo Capitulo, ſe nolle admittere, vel admiſiſſe, qui de iure non eſt admittendus, nec ſe velle excludere non excludendum. 16 Benè verum eſt, quod in aliquo caſu poſſet quis admitti in adiutoriũ, & conſultationem, & tunc habebit

ius conſultiuum, ſiue directiuum, non autem electiuum, ſicut dixi de Vicarijs Prouinciæ, ſi citarentur pro Capitulo Generali, vti factum eſt de Cuſtodibus aliquando Reformatorum, quando accedebant ad Capitula Generalia vocati ad intimandum neceſſitatem, & opportunitatem dictorum Reformatorum, vt ex Bulla Clementis VII. apparet ann. 1532. *In ſuprema militantis Eccleſiæ ſpecula &c.* Pluries enim vocabantur pro ſolo voto conſultiuo, & deciſiuo, non autem pro electiuo; & ſi pro electiuo, aliquando erat hoc ex ſpeciali mandato Pontificiæ authoritatis conceſſum, & permiſſum, vt ex diplomatibus Reformatorum proprijs, eiſq; ſpectantibus clarè conſtat.

Quamobrem, pro confirmatione, plauſibilis mihi multùm videtur doctrina Lauorij Doctoris celeberrimi *in tit. 4. de elect. Canon. cap. 21. num. 128.* vehementer ex illa probantis, 17 & ſeriò manifeſtantis, nullitatem cuiuſdam electionis Tullen. Abb. propter admiſſos tres ſcrutatores extrà Collegium præter tres permiſſos à lege prædicta, contra formam diſpoſitam *in c. quia propter de electione*. Quia inquit ipſe, etſi probaretur electio valida, quia recepta fuit in Curia, 18 & confirmata, non tamen eſt credendum Doctori de receptione atteſtanti, prout non creditur de conſuetudine aſſerenti. *Moled. deciſ. 2. & 3. de conſuetudine.* Et ratio eſt, (ſubiungit Lauorius) quia

con-

conſuetudo eſt quid facti, & quod tunc fuit, poteſt hodie non eſſe, & per iſtam rationem ſemper meo tempore Rota reprobauit illorum opinionem, qui tenent, quod Doctori credatur teſtanti de conſuetudine, quando eſt verſatus in illo foro; eoque magis non eſt credendum dictis Doctoribus, quia hoc dictum non videtur congruum, cum ferè omnes prædicti Doctores videantur moueri ex prædicta electionis confirmatione, in qua fuerunt adhibiti ſex ſcrutatores; Quæ quidem electio, vt rectè Rota aduertit *in d. cauſa Meten. Monaſterij. 5. Iulij 1621.* per Summum Pontificem potuit confirmari ex gratia, non autem ex eò, quod electionem cenſuerit validam. Nec prædicta electio, adhibitis ſex ſcrutatoribus potuit ſuſtineri, prout, nec iſta ex Regula, 19 quod vtile per inutile non vitiatur. *Cap. vtile, de Reg. Iur.* Quia iſta Regula non habet locum, quando aliquid inducitur pro forma ſubſtantiali, prout eſt, quod tres tantum eligantur ſcrutatores de Collegio, quia cum forma ſit indiuidua, vtile per inutile vitiatur. *Dec. conſil. 532. num. 5. & alij.* Et in terminis electionis *Roman. conſil. 66. num. 2. vſque in finem.* Vbi, quod ſtante Statuto, vt electio fiat ad annum, & non vltra, etſi contra fiat ſit nulla, electio facta per triennium eſt nulla in totum, quia illa verba dant formam electioni, quæ facit eam indiuiduam. Hæc ex Lauorio, vbi ſuprà.

 Neque

Neque prædictis reſiſtit, quod de conſuetudine poteſt introduci, vt aliqui contrà Collegium interueniant in electione; quia quicquid ſit de hac opinione, prout alibi dicam, procedit quando illi extra Collegium de conſuetudine legitimè præſcripta habent vocem, vti fit in numeroſiſſimis Comitijs Generalibus Sancti Franciſci, diſquiſitiones equidem ſex ſunt ex vocalibus. Tunc enim, vt conſiderat *Card. in dicto cap. quia propter*. Hi dicuntur de Collegio eligentium: In propoſito autem nullibi probatur, quod tres ſcrutatores exteri de conſuetudine debeant intereſſe electioni; etſi probaretur iſta conſuetudo non releuaret, quia apertè conſtat, quod hi ex conſuetudine non ſunt de Collegio eligentium, cum in electione vocem minimè dederint; Si verò prætendatur, quod de conſuetudine poſſint eligi ſex ſcrutatores, tres de Collegio, & tres extra Collegium, hoc etiam probato, nihil officeret, quia eſſet conſuetudo contra diſpoſitionem dicti *Cap. quia propter*.

20 Quod cum habeat Decretum irritans, tollit omnem conſuetudinem in contrarium, & in puncto illius textus dicunt plerique Doctores: Et hoc eſt regulare in omni lege, & Canone habente Decretum irritans. *Cap. quod ſuper his in fin. de conſangu. & affin. &c.* 21 Et confirmatur, quia lex irritans facit perſonam incapacem, quando circa illam verſatur, & conſuetudo non poteſt tollere incapacitatem.

Et

Et quamquam Suarez hanc ſententiam non reprobat, dum tenet, quod lex irritans, aliqua ratione honeſta poſſit eſſe abrogabilis per conſuetudinem; Tamen quicquid ſit de hac opinione quatenus etiã eſſet vera, in caſu iſto nihil prodeſſet, quia, vt idem Suarez declarat. *Ibidem de legib. lib. 7. c. 19. num. 16. 17.* procederet ſi vniuerſaliter in toto orbe per conſuetudinem contrariam cum requiſitis, lex eſſet abrogata, quod in caſu iſto videtur impoſſibile: Secùs autem quando in certo loco ſeruatur contra id, quod in lege habente Decretum irritans diſponitur. Iſta enim eſt præſcriptio, quæ introduci non poteſt obſtante Decreto irritãti, quia cum lex generaliter non ſit abrogata, remanet in ſuo robore: Hæc Lauorius vbi ſuprà.

Quæ quidem omnia poſſunt certè ad litteram adaptari noſtro Inſtituto, & intentioni, præſertim cum verificetur totum illud, quod dicitur de caſu Lauorij; in hoc ſolum differens, quod ipſe loquitur de non admittendis tribus ſcrutatoribus, qui ſint extrà Capitulum, & nos de non admittendo Vicario Prouinciali, ſiue Commiſſario Prouinciæ, ſine facultate, nec vllo fauente Iure, immò nec conſuetudine, vti dicemus, quia nec minus præualeret conſuetudo, ſi extaret, quia circa vota Capitulorum, & Definitorij vigent Breuia iàm citata, præſertim Clementis VIII. & Gregor. XV. habentia Decreta irritantia, & conſuetudinibus derogantia, his verbis. *Irritum, & inanè, ſi ſecus ſuper his*

 à quo-

à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Et demum quia nullus præſumitur vſque modo introductus vſus, vel caſus in toto Ordine, admittendi legitimè voces in Capitulis non expreſſas in Statutis, vel Decretis Pontificijs, nec ſcio vllum vnquam Vicarium Prouincialem adfuiſſe, vti ſuffragatorem ſaltem in Capitulis Generalibus, præſertim ex Tabulis eorum.

22 Et ideò, etſi Miniſter Prouincialis, vt Miniſter, ſit verus ſuffragator in electione Miniſtri Generalis nõ tamen poſſet eſſe talis in electione Vicarij Generalis, niſi expreſsè ei concedatur, vt factum eſt paſſim, ex Statutis iàm citatis; quando ipſis præcipiebatur Prouiſio, ſiue Præſidentia, in electionibus Vicariorum Generalium; tunc etenim expreſſis verbis concedebatur votum actiuũ, & paſſiuum, ſiue eius Vicario in ſui vacantia. Veriſſimum eſt enim illud iuris axioma commune, Lex ſi voluiſſet, expreſſiſſet; 23 Quod deſumitur *ex l. vnica, §. ſin autem ad deficientis C.* & alijs iuribus, prout exornant Menoch. Tuſch. & alij. Lex enim id noluiſſe præſumitur, cum facilè id exprimere potuiſſet, neque expreſſit; quia quod lex non dicit, non eſt ab homine præſumendum. Iure quod expreſsè ſancitum non reperitur, nõ eſt ſuperſtitioſis inuentionibus præſumendum, inquit *Barboſa, axioma* 135. *&* 136., quare ergo ſic accuratè exprimit de Vocalibus Vicarij Generalis, & alijs, quando vult illis concedere; & ſic

dili-

diligenter de ſuffragatoribus Miniſtri Generalis ex Regula, de Commiſſarijs Generalibus, Procuratoribus, & Commiſſarijs Curiæ ex Statutis, neque vnum Verbum vnquam adijcit de Vicarijs Prouincialibus?

24 Audiamus quæſo pro confirmatione dictorum aliqua Statuta. In Capitulo Generali 62. ann. 1593. ſic diſponitur. *In electione autem Vicarij Generalis vocem actiuam, & paſſiuam habent, qui Generales Miniſtri fuerunt, & Commiſſarij Generales, ſi qui ex eadem Familia ſuperſunt, ex qua erat Generalis Miniſter vita functus; Procurator Ordinis, & Definitores præcedẽtis Capituli ex eadem Familia pro tempore exiſtentes, ac Miniſter eius Prouinciæ, in qua electionem huiuſmodi celebrari contigerit: quod ſi nullus tunc temporis fuerit eius Prouinciæ Miniſter, Commiſſarius, aut Vicarius eiuſdem ad id vocetur, & votum, vt cæteri habeat.* Conſidera ergo, quam diſtinctè loquatur, & quomodo datur præcisè Miniſtro illius Prouinciæ votum, quia non eſt electio facienda de Miniſtro Generali; & datur etiam Vicario, quia eſt electio diuerſa à Miniſtro Generali, & inuenta ſolum in ſubſidium gubernandæ Religionis in vacantijs. 25 Item quod Miniſtris, & Cuſtodibus illius Familiæ, ex qua eligendus eſt Commiſſarius Generalis ſecundum Bullam Vnionis, datur votum ſpecialiter, quia non haberent ex Regula, ſi non haberent à Pontifice; & ideo pro indubitato eſt tenendum, quod ſpecialiter debet eis concedere

cedere votum Religio, vel Pontifex, in electionibus Regulæ, ſi velint impolluto calle tranſire in electionibus Canonicis.

Aſſerendum eſt igitur, quod ſiuè loquamur de Voto Vicariorum Prouincialium reſpectu Capituli Generalis, ſiue Prouincialis, neceſſaria eſt expreſſa licentia, & facultas, vltrà id, quod poſſunt circa gubernium, & regimen ſubditorum Fratrum; 26 Quare de voto Miniſtrorum in Capitulo Prouinciali habemus; ſic ex *Clemente 8. ann.* 1600. 10. *April. in Diplomate, Seraphicum Ordinem &c.* poſt reuocata Statuta Neapolitana 1590. de Patribus perpetuis: videlicet. *In Prouincialibus verò quarumcunq; Prouinciarum Ordinis eiuſdem, eius reſpectiuè Prouinciæ, in qua celebrabitur Miniſter Prouincialis, & quatuor Definitores actuales, habere poſſint votum conſultiuum, definitiuum, deciſiuum, & electiuum, & non alij &c.* Et Greg. XV. in ſua Conſtitutione Militantis Eccleſiæ &c. ann. 1622. 23. Febr. ſic ait. *Permittimus tamen Miniſtris Prouincialibus officio functis in recognitionem laborum ſuorum, vt in Definitorio ſolius Capituli, in quo tunc eorum munus expleuerunt, tantummodo vocem habeant.*

27 Et ſic videntur optimè multa hìc adaptari poſſe axiomata ad rem noſtram. Priuilegium ſiquidem ex certa cauſa conceſſum, & ex certa qualitate; ceſſante cauſa, vel qualitate, ceſſat priuilegium, inquit *Tuſchus in concl.* 733. Si ergo Pontifices Clem. 8. & Greg. XV.

Mini-

Miniſtris permittunt Prouincialibus votum in Capitulis Prouincialibus, in quibus eorum terminant triennium in recognitionem ſuorum triēnalium laborum, & cum hac qualitate, conditione, & cauſa; quis hoc idem permittet Vicarijs Prouincialibus, qui parum antè Capitula eliguntur Prouincialia, quando quidem per mortem Miniſtri debet quàmcitiùs, aut ſaltem ad arbitrium Superioris Generalis celebrari, iuxtà Statuta Reformatorum *cap.8. num.* 17. Et certè hoc Pontificium Priuilegium ſolis Miniſtris Prouincialibus permiſſum, ſeù conceſſum 28 puto ſatis fundatum in Statuto Capituli Generalis noſtri Ordinis ann. 1553. ſic enim ab illo fuit conſtitutum: *Miniſtri Prouinciales in illo Capitulo, in quo officio ſuo ſunt functi, habeant votum, & ſuffragium in Definitorio, & in electione Guardianorum &c. durante Capitulo &c.* Nam vt excludatur à Definitorio omninò videtur indignum, & ab omni ratione alienum, cum accidat ſæpè, vt qui coaptantur in Miniſtrū, & Definitores nihil omninò ſciant de ſtatu Prouinciæ, neque ob id noſcere poſſint, quid commodi, qui indigni, quique digni, quæ res, quodq; remedium labentibus rebus adhiberi oporteat &c. Ipſe verò fratrum naturas, & merita calcat &c. Hæc inquā mihi videtur potiſſima ratio motiua huius Priuilegij, quæ quidem ceſſat in Vicario Prouinciali, qui datur in refugium duntaxat: nec multum temporis poteſt exercere Vicariatus Officium, ſed contractiori duraturus

eſt Miniſtri tempore quoquomodo protrahatur Generalis Superioris arbitrio &c.

29 Nec valet apponere *ex Barboſa axiom. 89.* quod expreſſi, & taciti idem videatur iudicium: Vbi nanque requiritur expreſſum, ſicut votum in electionibus, non ſufficit tacitum, neque præſumptum: cum enim votum ſit quid correctorium Iuris communis Religionis, non eſt permittendum, niſi expreſsè concedatur.

30 Et verè Miniſter nullo iure eſt Vocalis in eo Capitulo, in quo remanet per renunciationem ſigilli abſolutus ab Officio, & vt talis non eſt ſuffragator, niſi modo ex conceſſione Pontificia: Quod quidem infero ex multis Statutis, Aſſiſien. ann. 1526., & Meſſanæ 1532., in quibus decernitur, quod finito triennio, non amplius gubernet Prouinciam, vti Miniſter, ſed vt Commiſſarius: caſu, quo nondum fuerit deſtinatus Viſitator à Generali Superiore, pro celebrando Capitulo, etiamſi prorogaretur per alios ſex menſes ex alia Conceſſione Clementis 8., & aliorum; quæ dicta, ſuffragatur nouiſſimè Statutum Toletanum Generale ann. 1658. his verbis. *Miniſter Prouincialis etiam Reformatorum, expleto triennio, & ſemeſtri Miniſteriatus, ſi nullus ſit miſſus Commiſſarius ex aliquo accidenti, teneant ſigilla, & gubernent Prouincias tanquã Commiſſarij Prouinciales cum ſuo Definitorio; ſed non habeant votum in Capitulo immediatè ſequenti, niſi ipſis omnibus concedatur à Superiore Generali, cum conſenſu* Procu-

Procuratoris Generalis , & Definitorum Generalium, ſi præſentes fuerint, &c. Ex quibus patet intentum, etiam ſi non eſſet rationabili fine hoc decretum, ſed ſolummodo ex eo, quod gubernant, vt Commiſſarij, & vt tales, non video, quo iure permitti poſſit eiſdem votum in Capitulo. Quis ergo poterit concludere votũ, neque in Vicarijs, ſine ſingulariſſima expreſſione verborum?

31 Aduerto ad maiorem euidentiam noſtri dicti, quòd in Capitulis Generalibus 49. & 56. cap. 8. §. de electione Miniſtri Generalis &c. datur modus ſupplendi Vocales abſentes tunc temporis, in quo erat licita ſuppleto. In primo enim 49. ordinabatur ſic. *Ordinatur propter verbum Regulæ, quod ſoli Miniſtri, & Cuſtodes eligere habeant Miniſtrum Generalem, & quod de cætero, nec Commiſſarius Generalis, nec Procurator Ordinis, nec Commiſſarius Curiæ habebunt vocem in electione Generalis Miniſtri, ſed ſi vnum votum fuerit ſupplendum, per Commiſſarium Generalem &c.* In 56. autem ſic. *Vota abſentium, & eorum, qui ſunt voce priuati (vt moris eſt) ſuppleantur: In qua ſuppletione primò ſuppleatur Commiſſarius Generalis; ſecundò Procurator Ordinis; tertiò Commiſſarius Romanæ Curiæ. Quartò Guardianus Pariſienſis, & Cuſtos Hieroſolymitanus, ſi præſentes fuerint; aliæ verò voces per Capitulum Generale, ſiue per Gener. Miniſtrum, cum Conſilio Patrum Ordinis ſuppleantur: quod ſi nulla*

ſit

ſit facienda ſupple tio, tàm Miniſter Generalis immediatè abſolutus, quàm prædicti tres, præter electiones, & depoſitionem Miniſtri, in omnibus alijs erunt de corpore Capituli: Miniſter autem Generalis abſolutus, qui etiã habet votum actiuum in electione Generalis nouiter eligendi, primùm locum teneat poſt Generalem electum, &c. Ex quo elicitur, quod votum Miniſtro Generali ipſi, in Capitulo, in quo abſoluitur à Miniſteriatu, etiam ſpecialiter conceditur, quia vt abſolutus, non eſt ampliùs vocalis; & iàm conſtat, quod verè, & legitimè ex Regula à ſolis Miniſtris, & Cuſtodibus eſt eligendus nouus Miniſter Generalis, prout in principio ipſius capitis, & paragraphi habetur his verbis. *Cum Generalis Miniſter per Regulam ſit à ſolis Miniſtris, & Cuſtodibus eligendus, ſtatuimus, & ordinamus, quòd conueniant Miniſtri, & Cuſtodes, &c.* Quare ergo nullo modo tangit de voto Vicariorum Prouincialium?

32 Et ſic facilè reſpondebimus ad inſtantiam ſupradictam videlicèt. Sicùt ſe habet Vicarius Generalis ad Religionem,ità ſe habet Vicarius Prouincialis ad Prouinciam &c. Vel ſi quidem concedenda ſecunda inſtantia de Vicario locali, quando eſt inſtitutus Præſes Conuentus per mortem Guardiani; vel eſt ex benignitate adducenda diuerſitas rationis: 33 Nego, etenim ego aſſumptum de Vicario Generali in ordine ad Votum, benè quidem concedo circa regimen Fratrum; eandem enim authoritatem habet, quàm Generalis,

neralis, non verò ea, quæ non ſunt iuriſdictionis neceſſariæ ad gubernium perfectum Religionis. Et ſic ad ſecundam illationem: Sicùt ſe habet Vicarius Prouincialis ad Capitulum Generale, ità Vicarius Conuentus ad Capitulum Prouinciale, &c. Quia iàm dixi, quod nec Vicarius Prouincialis habet votum in Capitulo Prouinciali; nec minus Vicarius Localis; quia nulli ſpecialiter conceſſum à Religione, vti neceſſarium probauimus. Sed videamus, quando conceſſum eſt votum Vicario Generali in Ordine noſtro, vt videant, & cognoſcant aduerſarij, quomodo non currat paritas de Vicario Generali, & Prouinciali, quia primo eſt conceſſum, nunquàm verò ſecundo, vt ſæpè diximus.

In Capitulo Generali 62. 1593. § de habentibus votum in electione Generalis Miniſtri ſic decernitur: *Primò Generalis Miniſter immediatè Officio functus, votum actiuum habet in electione ſucceſſoris, ac alijs electionibus omnibus capitulari loco, & tempore celebrandis: Deinde, ſi qui alij interfuerint, qui ſimili Officio, aut Vicarij Generalis munere biennio functi ſint: Poſtea Commiſſarius Generalis Familiæ, & qui ſimili Officio functi ſint, &c.* Diſcurrit de alijs electoribus. Et tandem concludit: *Poſtea Prouinciales Miniſtri, & Cuſtodes omnino omnes, qui Generali Capitulo aderunt, &c.*

Vnde obſeruo, quod ſolùm in hoc Capitulo, & non

in

in antecedentibus fuit diſpoſitum de Voto Vicarij Generalis; de voto, in quam, ſi per biennium ſaltem integrum moderatus fuerit Ordinem ipſum; quod non video de Vicarijs Prouincialibus, etſi eiſdem concedatur præcedentia inter Patres, ſi biennio durauerint in officio; & ne recolamus antecedentia, adijciemus hic ſolummodo verba præciſa Statuti Romani ann. 1639. confirmati à Pontifice in forma ſpecifica, quæ ſunt. *Vicarij Prouinciales, qui per biennium completum in Officio ſteterant Patrum Prouinciæ priuilegium, & præcedentiam habeant: Eos tamen ſubſequentur, qui Miniſtri Prouinciales extiterunt, vel poſt modum exiſtent.* Hoc ſolum habent, quia expreſſum in Statutis. Et quando vnquam loquuntur de voto, etiamſi tractent de electione quacunque? Humillimè ergo peto à benigniſſimo Lectore, vt ingenij mei tarditati oſtendat vnicum, & ſolum verbum, ſiuè Conſtitutionem loquentem de voto aliquo Vicariorum, vt deſiſtamus à pugna.

36 Immò obſeruo in alio § *de habentibus votum in electione Vicarij Generalis*, quod inter Vocales non nominat Generales Vicarios emeritos, vti fecit ſuprà in §. *de electione Miniſtri Generalis*, ſolum ſiquidem nominat Miniſtrum, & Commiſſariũ Generales, Procuratorem Ordinis, & Definitores præcedentis Capituli, ex eadem Familia pro tempore exiſtentes, ac Miniſtrum eius Prouinciæ, in qua electio celebratur, aut

Vicarius ipſius. Et nec verbum addit de Vicarijs Generalibus, vti dixi; & ideo videtur, quod de Iure non habeant votum, & poſſent excludi ab illa, quia eſt Compromiſſum, in quo non ſuffragantur, niſi nominati, & expreſſi, nec ſcio, quomodo poſſet ſic inferri à fortiori: Si enim habent votum in electione Miniſtri Generalis, quare non habebunt in electione Vicarij Generalis? Et tamen ſi hoc argumentum ſit concedendum ex vi iuris, iudicent Sapientiores; Hoc vnum ſcio, quod in electione Commiſſ. Gen. in Familia, nominat etiam Vicarios Generales emeritos, qui biennio ſaltem munere ſuo functi ſunt, in §. ſequenti de electione Commiſſarij Generalis, nec penetro myſteriũ, niſi dicamus errorem eſſe Typographi.

37 Dicent etiam: Circa votum Vicarij Prouincialis in electione Miniſtri ſucceſſoris, quod habemus ex Statutis multoties Vicarios Prouinciales ſubrogatos habuiſſe votum in electionibus Vicariorum Generalium, quod eſt maius: Quare ergo negabitur votum in Prouinciali Capitulo, quod eſt minus? videtur hic .n. teneri vniformiter maioritas, & minoritas.

38 Reſponſio huius inſtantiæ confirmabit paritatem iam allatam ſuprà de voto etiam Vicarij Conuẽtus pro Voto Capituli Prouincialis: Et ideo audiamus fundamentum huius aſſertionis. In Capitulo Generali 56. c. 8. fuit æditum tale Statutum videlicet; *Ordinamus etiam, quod accedente morte Miniſtri Prouincialis*

cialis in ſibi credita Prouincia, Cuſtos illius Cuſtodiæ, in qua deceſſerit teneat ſigillum, ſi verò non ſunt ibi Cuſtodes, Guardianus, in cuius Conuentu moritur, teneatur quàmprimùm fieri poterit in commodo loco congregare Definitores, qui fuerunt electi in Capitulo præcedenti, & illos, qui fuerunt aliàs Miniſtri Prouinciales pro electione Vicarij Prouinciæ, in qua electione dictus Guardianus, vel Vicarius, ſi Conuentus caruerit Guardiano, habeat vocem actiuam, & paſſiuam, ſicut Definitores, & præfati Patres, & præſidebit.

Si ergo vis arguere, ò Lector erudite, Votum in Capitulo Prouinciali Vicarijs Prouincialibus, quia per Statutum conceditur eiſdem in electione Vicarij Generalis, quod eſt maius; argue pariformiter, & æquè benè, de voto in eodem Capitulo Vicarij, qui ſucceſſit Guardiano, ſine vlla differentia; quia non video rationem diuerſitatis; Et certè, ſi non concedis hoc, gratis negas, & ſinè cauſa; Vicarius ſi quidem ſe habet ad Conuentum, ſicut Vicarius ad Prouinciam.

39. Nàm non eſt in neceſſariam trahendum conſequentiam, indifferenter votum in Vicarijs Prouincialibus, ex hoc præcipuè, quod aliquando in deficientia Miniſtri Prouincialis ſuffragati fuerint in prædicta electione Vicarij Generalis, nàm ex axiomatis expoſitione, conceſſum ad tempus videtur poſt tempus denegatum; Si ergo votum pro illa duntaxat electione Vicarij Generalis, & pro illo tempore, & vice fuit

conceſſum,

conceſſum, quare nõ erit eidem poſt tempus denegatum? & ſi poſt illud tempus non inuenitur permiſſum, certè prohibitũ cenſetur, *ex Barb. axiom.* 193.*nu.*177.

Item ex Barboſa axiom. 120. *Expreſſio vnius cauſæ in aliquo reſcripto, ſeù Bulla, ne dum includit aliam cauſam ab illa expreſſam, ſed immò excludit:* Si ergo cauſa conceſſionis voti pro Miniſtris Prouincialibus inclusa in eorum diplomatibus eſt ſolum recognitio triennalis laboris, qua ratione poterit cum illa includere alias, prout eſſet congruentia quædam? quia ſc. habet omnimodam iuriſdictionem in Prouincia, & quia eſt Prælatus ordinarius; & ſicut ſi Miniſter eſſet viuus, daret votum, ſic debet eius Vicarius, qui ſuccedit eidem in omnibus iuribus, & ſi quæ alia. 40 Clarè ergo patet, quod excludit Pontifex quemcunque alium, & ſi appareret valde rationabile, & congruum. Non enim fit extenſio ſic paſſim in Priuilegijs, præſertim quando vnum eſt conceſſum alicui dignitati ſpecialiter, & nominatim, & ſola dignitas exprimitur, eidem enim duntaxat, cenſetur factum priuilegium, vel directum reſcriptum, *ex Tuſch. litt. D. concl.* 434. Dignitas verò Vicarij, etſi ſit ſatis ampla, non exprimitur tamen, nec eſt eiuſdem omninò rationis cum illa Miniſtri Prouincialis, vt ſæpè dictum eſt &c. Et hoc totum facillimè præſumitur tale; quia verè in priuilegio voti facto Miniſtris Prouincialibus attenditur ratio, qua motus fuit concedens, qualis non poteſt eſſe in Vi-

 carijs;

carijs; & ſi poteſt haberi declaratio à concedente, vel ſucceſſore, ſtandum eſt illi *ex Tuſc. concl. 743. litt. P.*

Et ideo ſupplex oro, quod Capitulum Generale hoc expendat. Priuilegia enim ſemper ſunt reſtringenda ex Proloquijs notis; vel ſi extendenda, legitimè extẽdenda. Si enim Pontifices dixiſſent in eorum Breuibus, quod in Capitulis concedunt votum Prouincialibus emeritis, facilior, & conuenientior eſſet extenſio iugiter pro Vicarijs quoque: ſed ille terminus (Miniſter) reſtringit priuilegium ſolis Miniſtris, & non alijs, vt patet.

Non eſt ergo extendenda Bulla Clementis VIII. & Greg. XV. circa votum Miniſtrorum, vt dictum eſt, quia verba legis ex Bulla tantum valent, quantum ſonant, ſeu demonſtrant voluntatem Legiſlatoris iuxtà *l. habeo ff. de ſupl. leg.*; præſertim, quia eſſet contra finem mouentem Pontificem ad concedendum votũ Miniſtris: Dicit enim hoc facere in recognitionem laborum ſuorum, quia ſcilicèt Prouinciam per triennium ſunt moderati; quod nunquam eſt dicendum de Vicarijs, qui aliquando fuerunt electi pauló antè Capitulum Prouinciale, etiam cum voto Commiſſarij Viſitatoris, nec vllum obierunt laborem; & quidem Statuta Regulariter ad vnguem, & ad litteram, prout iacent accipienda ſunt, adeo vt, nõ expreſſa Statutorum ratione, magis verba conſideranda ſunt, quam ratio; ſic Doctorũ multitudo. *ex P. Morono reſponſ. 16. n. 20.* & vbi non diſtinguit, nec nos debemus diſtinguere &c.

& quod

& quod non dicit, nec nos dicere debemus, & item facienda eſt interpretatio, vt verba ſonant.

41 Nec eſt decernendum priuilegium aliquod, aut reale, ſiue perſonale, contra vniuerſalem abrogationẽ factam, & expreſſam prohibitionem ab ipſis Pontificibus, à quibus prohibetur expreſsè, ne in poſterum concedatur aliquod votum niſi Miniſtro Prouinciali. Et quando Miniſtris ipſis permitteretur, ſiue extenderetur votum in illo Capitulo, etiam ſi ſolum per biennium gubernarent, poſſet tamen hoc fieri commune axioma, quod priuilegia ſunt extendẽda reſpectu eiuſdẽ, non verò reſpectu diuerſorum: 42 Conſidera ergo, quo iure poſſint ſuffragari electi Vicarij paulo antè Capitulum, vt dixi; & non aliqua poſſit eſſe fraus in multiplicãdis votis ſine authoritate &c. Sola ſiquidem inſtitutio Vicarij nullum ius circa votum tribuit, niſi authoritatem ordinariam, & neceſſariam pro regimine Prouinciæ, nec minus concedit aliquod priuilegium reale, ſiue perſonale, & præciſum Miniſtri Prouincialis, vt ſic, & in recognitionem laborum. 43 Quod ergo per Statutum non reperitur cautum, non eſt permittendum. Ius enim nouum, quod Pontifex, Religio, nec Regula concedunt, non eſſe introducendum, communiter affirmant Iura, & Doctores.

44 Immò addo, quod vbi reperitur ius ſcriptum, nullo modo eſt ab eo recedendum; cum arbitrarium non ſit, ſed certum, & deciſum à lege, ſeu Statutis Reli-

gionis, ac eiuſdem eſt iuris de eo, quod à iure non ſcripto, videlicet, à conſuetudine, vti eſt firmatum de ſolis electoribus decretis à Statutis, & Pontifice. Neceſſariũ quippè eſt, & non arbitrarium, quod conſuetudine legitima eſt præſcriptum, & ſtabilitum, quia quod à conſuetudine determinatur, à lege cenſetur definitum: In caſibus verò, in quibus nõ reperitur aliquid à iure cautum, vel à conſuetudine legitima expreſſum, neceſſariò iudicis arbitrium deſideratur; dummodo ſit illud idem à lege regulatum, nempè à ſimili ad diſcernendum, an reducantur ad caſus expreſſos in Iure, & an ſit probabilis extimatio eorum, qui aliter aſſerunt, ità vt conſideratis ſimilibus diſpoſitionibus, & perpenſis multis coniecturis, quæ æquitate potiùs, quàm iuris ſubtilitate nituntur; quod iuſtum eſt, & æquum, & de iure videri poteſt, ſtatuatur: & hæc omnia ſic ſunt vera, & certa, vt iudex in ſimili caſu, ne vtiquam propriam poteſt ſequi conſcientiam, ſed debet ſe conformari iuſtitiæ communi, & publicæ vtilitati, publica lege, ſeu conſuetudine, vel Statuto Religionis munitæ, quo circa ſi iudex ſolum affirmat, ità rem ſibi videri, & ſe haberi in ſua conſcientia, malè iudicat, defendit, & operatur; ſic in *c. Iudices*. 3. *qu*. 7. Nihil ex arbitrio facit, & domeſticæ propoſito voluntatis, Immò qui iudicat, ſuæ non debet obtemperare voluntati, ſed tenere, quod legum eſt, & Iuris. *in c. quamuis uera*. 11. *quæſt*. 3. Applica modò, Lector,

ctor, hoc totum, ſi potes pro concedendo voto Vicarijs contra Regulam, & Statuta, & conſuetudinem expreſſè.

45 Contra Regulam dico; quia ex Regula ſolis Miniſtris, & Cuſtodibus conceditur electio Miniſtri Generalis. Contra Statuta ſubiungo, quia in illis non incluſi, ſunt omnino excludendi, vti alias probauimus. Et expreſſè contra conſuetudinem concludendam, quia memorialis extat conſuetudo in toto Ordine alios non admittendi ſuffragatores, niſi nominatos à Pontificibus, vel à Statutis ab eis confirmatis.

Verum; quia multos contra meum aſſertum præuideo inſurrecturos hoc prætexu, quod detur ſcilicet contraria conſuetudo, antiquam abolentem conſuetudinem, & eneruantem, eo ferè modo quo contendebatur ſuprà de alia conſuetudine, & praxi, reſpectu durationis Vicarij Prouincialis, etſi per exempla caſtigata, & penitus labefacta, proinde ab hac duntaxat imaginatione laceſſitus, à promiſſa breuitate parumper digrediar, diſtinguendo ſic:

Vel iſti Nouatores loquuntur de conſuetudine introducta de voto Vicarij Prouincialis pro Capitulo Generali, vel pro Capitulo Prouinciali? Si enim de Generali intendunt, iàm patet, quod contra præcepta Regulæ noſtræ Seraphicæ admittunt conſuetudinem, quod certè abhorret à filijs tanti Inſtitutoris audire, & à ſequacibus Apoſtolicæ Regulæ præſumi: ſi de Capi-

tulo Prouinciali non video profectò, quo iure hoc poſſint ſuſtineri, cum non ſufficiat credere Doctori de conſuetudine atteſtanti, niſi probetur.

Et proindè ne videar nouus in meis aſſertis, & ſingularis, Lectores remitto ad quicquid euidentiſſimè dixit ex Noſtratibus celebris Commentator Statutorum Ordinis, & iàm mihi amiciſſimus Adm. R.P. Sanctorius de Melphi Rom. Prou. Refor. Pater digniſſimus, *in lib. de pœnis par.* 1. *c.*7. *pag. mihi* 318. ad rem noſtram, & vbique ſæpè referendus, vt Doctor verè Seraphicus.

Illius quidem doctrina, an ad vnguem inſeruiat noſtris dict s, ſiuè obiectionibus ſe ſe adæquet de conſuetudine aſſerta circa votum Vicario Prouinciali permiſſum ab aliquo pro electione Miniſtri Generalis, iudicent alij peritiores, qui veram Seraphici Patris Regulam, & Inſtitutum profitentur.

46 Ego hic addam pro dilucidiori expoſitione conſuetudinis noſtræ, & vt negotium grauiſſimum pedi quadret ſic. Vel iſta conſuetudo per vos allegata de noſtris Vocalibus, & electoribus Capitulorum Generalium, ſiue Prouincialium, non incluſis in Religionis noſtræ Statutis, eſt præſcripta, vel non eſt præſcripta, vti habemus *in c. ultimo de conſuetudine*.

Si enim præſcriptam aſſeritis, ergo erit talis in ordine ad tempus certum, & definitum à lege, pro quo durare debet, & cõtinuare, vt legitimè dicatur præſcripta:

Ac pro-

Ac proindè intimiùs eſt vtrorumque examinanda conditio, ſiuè quidditas ipſa: Vel .n. loquimur de lege à Legiſlatore promulgata, ſed nō à maiori parte Populi, ſiue Communitatis, rationabilis cauſæ prætextu recepta, vel ab ipſa Vniuerſitate recepta: ſi de prima; contra eam currit præſcriptio legis etiam Legiſlatore ignorante; quippe qui non eſt neceſſarius nouus conſenſus Superioris legem facientis, nec eius præſentia, vel ſcientia deſideratur; ſatis enim eſt conſenſus antiquus de iure præſumptus, quando ſcilicet leges de præſcriptionibus approbauit; Conſentit tunc equidem in formam legis, qua cauetur, vt conſuetudo decennalis poſſit introducere ius, & præſcribere contra Legiſlatorem, etiam ipſo nihil ſciente de nouo, aut tacitè, vel expreſsè, conſuetudinem efficaciter introduci, vt inquit *D. Antoninus p.par. tit.* 16. §. 2. *cum alijs.* Finitur ergo iſta præſcriptio, & abſoluitur ſpatio decem annorum ad minus, proprio, & neceſſario, ad abrogandam legem, & inducendam conſuetudinem legitimam; Immò iſte terminus decennalis debet eſſe continuus, & non interruptus. Interruptum dico, ſi videlicet à tota Communitate, vel à maiori parte agatur contra eam, ex communi conſenſu Iuriſtarum, & Theologorum. Si de ſecunda ab Vniuerſitate recepta, & ab initio acceptata, tunc requiritur tempus quadraginta annorum continuatum pro firmanda conſuetudine legitimè præſcripta, & abrogata ipſa Le-

gislatoris lege. Sic communis opinio. Et habetur expreſsè in *c. de quarta. & c. ad aures de præſcript.* Nec mirandum, quod plus temporis requiratur via præſcriptionis ad abrogandum legem receptam, quàm non receptam, quia recepta habet plus roboris, & firmitatis, quam non recepta. Sic Layman cum alijs. Si verò non præſcriptam affirmatis, hæc vtique eſt ſufficiens ad abrogandam legem, dummodo tamen ſit nota, & ſcita Legislatori; & ſic adeò ſit, quòd iugiter oſtendat ipſius conſenſum, prout docet *D. Thom.* 1. 2. *q.* 97. *art.* 3. *ad* 3. Vbi Doctor Angelicus ad tollendam legem non recurrit ad præſcriptionem, ſed ad ſufficientem ſignificationem conſenſus Superioris, inducendo nouum ius magis celeriter, & breuiori tempore, quam decennio: Vndè poteſt dici conſuetudo potentior, & efficacior ipſa conſuetudine præſcripta, eò quia procedit ex ſcientia Legislatoris: Magni enim intereſt inter Superiorem ſcientem, & ignorantem cõſuetudinem, ſiuè morem Populi: Nam quandò Superior ſcit conſuetudinem introductam, & tolerat, & eò magis ſi ea vtatur, ex iſto vſu profectò arguitur ſatis euidenter conſenſus Superioris, ſicut etiam ex tolerantia, adiunctis alijs circunſtantijs, vt puta, ſi illa permiſſio ſit rationabilis, & valde vtilis, vel neceſſaria, introducentibus eam; & ſic circunſtantionata, & adminiculata, eſt morale ſignum voluntatis Superioris illam legem permittentis, nam tota ratio facti eſt voluntas

luntas legem ferẽtis. *Donatus de leg. tract. p. q.* 21. *n.* 12.

Et ſic concluditur, quod actus, & mos Communitatis de ſe, & ex natura propria, non habent vim deſtruendi legem iam promulgatam, ſiuè ſit accepta, ſiuè non, & aliam introducendi: Sed voluntas Legiſlatoris per Populi actus declarata. Sic Suarez de cõmuni ſententia. Quare penes hoc diſtinguuntur conſuetudines præſcriptę à nõ pręſcriptis, quia præſcriptæ nõ poſtulant ſcientiã, ſed ignorantiam Superioris; Vndè non inducit legẽ, vt ſignum noui cõſenſus eiuſdẽ, ſed, vt cõtinens virtualiter requiſita per legẽ, in qua continetur antiqua Legiſlatoris volũtas; Volo dicere, quod iure antiquo cautũ eſt ex voluntate Superioris, vt lex via præſcriptionis poſſit tolli per non vſum, vel contrarium vſum, tot annorum etiam ipſo ignorante.

Verum è contra, non præſcripta operatur ſolummodo, vt ſignum voluntatis, & noui conſenſus, abſq; vllo reſpectu ad decennale, vel aliud tempus. Lex ſi quidem dependet à ſola voluntate Superioris, de qua, cum conſtet, nil aliud curandum: Neque eſt danda certa regula expreſſiua temporis, quo indigat ſignum voluntatis Superioris: Non enim iure definitum eſt, nec poteſt definiri, quia ex quo iſtud ſignum conſiſtit in factis, pendet etiam à coniecturis, quæ non ſunt æquales in omnibus conſuetudinibus. De quibus vide *Sotum lib. p. de iuſt. quæſt. 7. art. 2. & alios.* Dicunt enim tempus hoc determinandum eſſe viri prudentis arbitrio:

trio: *Sic P. Donatus Ord. Prædic. de leg. tom. p. q. 21.*

An deindè iſta ſcientia Legislatoris debeat eſſe immediata, vel mediata; & diſtinctio ſit vera vtiquè tàm in foro fori, quàm in foro Poli, doctiſſimè diſcuſſam videbis ibidem *quæſt.* 23. *& ſupra pag.* 147. *num.* 23. *cum alijs, & bene &c.*

47 Sed adhuc confirmamus hæc omnia ex Iuribus alterius Religionis noſtræ coæuæ, & præ omnibus dilectiſſimæ, ex Samuellio Ordinis eiuſdem Prædicatorum in ſuo *tract.* 3. *de elect. controu.* 6. *concl.* 4. *num.* 4. *ſic exſcribo.* Licèt de iure Conſtitutionum noſtrarum deputetur Vicarius Ordinis ille Prouincialis illius Prouinciç, in qua ſequens Capitulum fuerit celebrandum, attamen, vt plurimùm Summus Pontifex tali occaſione ſuperueniente, authoritate Apoſtolica inſtituit Vicarium, quem ipſe idoneum iudicauerit, ſed obſerua (inquit ipſe) quod ſi ſit inſtitutus à Papa, vt ſic, inſtitutus caret voce in electione Magiſtri Ordinis, quia, etſi Alexander Sextus ex ſpeciali priuilegio contulerit ei primam vocem in dicto Capitulo, & electione, Paulus tamen Tertius hanc gratiam reuocauit, & ex tunc non fuit amplius admiſſa. Si vero defuncti Generalis ſuccedit in Vicariatu Prouincialis ille ſecũdum relatas Conſtitutiones, clarum eſt, quod cum ſit Prouincialis actualis, habet votum in electione Magiſtri Generalis.

Ex qua Concluſione prędicti Doctoris has elicio illationes ſatis ſimiles ad rem noſtram.

Primò

Primò, quod Vicarius electus à Papa,ſiuè ſit Generalis, ſiuè Prouincialis, cum eadem ſit ratio, non habet votum in electione,niſi ſit ſpecialiter ei conceſſum ab eodem, ſi non ſit actualis Prouincialis, & ideo ſuffragator in illa electione, ſicut & in noſtris, vt dictum eſt; & ideo Alexander Sextus citatus, Vicario ab eo electo, ſiue ab alio, conceſſit ſuffragium in tali caſu: etiam ſi à Paulo poſtea Tertio reuocatum,nec amplius reſtitutum. Sola ſi quidem electio Vicarij, vt Vicarij, etiam facta à Pontifice non imbibit in ſe votum in electione Superioris Generalis.

Secundò ſubinfero, quod Vicarius Generalis à Statutis deputatus, & ſecundùm iura Religionis, in tantum habet votum; in quantùm eſt actualis Prouincialis illius Prouinciæ, in qua celebratur Capitulum Generale, & non vt Vicarius gerens vices Generalis: Sic enim diſponitur in Conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum, diſtinct. 2. num. 2. *Mortuo Magiſtro Ordinis, Prouincialis huius Prouinciæ, in qua ſequens Capitulum fuerit celebrandum, vices Magiſtri Ordinis obtineat, quouſque Magiſter Ordinis ſit electus*; & ſic habet quidem authoritatem eamdem Superioris Generalis, non autem votum, ex natura nanque Vicariatus ei non competit.

Quare ergo pro noſtro Minorum Ordine non habebimus eaſdem prorſus conſiderationes, & rationes, ſi benè perpendantur noſtra monumenta Seraphica?

48 Addo,

48 Addo, quod etſi Vicarius Prouincialis duret per biennium in officio, non tamen habet votum, quia, etſi acquirat Paternitatem, & præcedentiam, inter Obſeruantes, non tamen omnia iura, gratias, ſiuè priuilegia Miniſtri: Miniſter ſi quidem cum differat in electione à Vicario Prouinciali, proinde non eget duratione biennij, vt Vicarius: En ergo, quod paternitas, & præcedentia Vicarij eſt conditionalis, & non abſoluta, ſicut Miniſtri; & quod non ſuccedit in omnibus iuribus, & gratijs ipſi Miniſtro, & ideo nec in voto: non obſtante, quod eamdem prorſus habeat authoritatē, & iuriſdictionem. 49 Iuriſdictio, vt ex ſua deſcriptione habemus, non includit ſuffragium in Capitulis, ſic enim deſcribitur in *ff. de iuriſd. om. Iud. l. 2.* Eſt quædam facultas alicui conceſſa, qui iuridicēdo præeſt, qua conceſſa, commiſſa intelliguntur omnia, ſinè quibus explicari non poteſt, & ſic aliud eſt iuriſdictio, aliud votum, ex ipſa natura rerum, & nomenclatura termini. Votum quidem eſt actus, ſed non prouenit à iuriſdictione, cum multi habeant Iuriſdictionem, & nō votum, & è cōtra: vnde iam præſcindit ab ipſa: *ex Bordeno reſol.* 130. *num.* 47. nec votum eſt officium: & à diuerſis non fit illatio: & ſuffragari, ſiue votum eſt animi deliberatio, cum beneplacito determinans ſe ad hoc aliquid: *ex Sigiſm. dub.* 26. *num.* 4.

50 Et à ſimili poſſumus argumentare de Commiſſario Viſitatore, & Vic. Prouinciali, quia etſi primus

habeat

habeat omnimodam poteſtatem, immò quaſi plenipotentiam Miniſtri Generalis, in Miniſtrum, & Prouinciam totam; non tamen ex hoc infertur, nec poteſt inferri votum in electionibus, ſiuè in Capitulo, & tamen videtur potiùs neceſſarium votum in iſtis, quã in Vicarijs: præſidendo nanque videtur inconueniens, quod ſimul, & ſemel non habeat votum in illis; & tamen, niſi ſpecialiter concedatur, non permittitur ſuffragari in eis.

A ſimili elicitur ex Statuto Capituli Generalis 66. §. *de Commiſſario Generali* ſic enim inquit. *Statuitur tamen, & declaratur, quod Commiſſarius Generalis ſic inſtitutus non erit Prælatus Ordinarius, nec habebit votum in Capitulo Generali, nec habebit eaſdem praeminentias, quas habent Commiſſarij Generales ſecundum Bullam vnionis electi, niſi forſan is, qui inſtituitur, olim fuiſſet Miniſter, aut Commiſſarius Generalis, habebit tamen plenitudinem poteſtatis ad gubernandum totam Familiam*. Elicitur, inquam, quod plenitudo poteſtatis in aliquo Superiore non arguit votum in Capitulis. Nec obſtat, quod Statutum ipſum dicat, quod iſte Commiſſarius Generalis ſic inſtitutus non erit Prelatus ordinarius, quandoquidem modò non currit iſta doctrina, de ſimilibus relictis in Familia, ex qua diſcedit Miniſter Generalis, quia communiter, & non ſine ſtabili fundamento habetur, quod eſt verus Prælatus ordinarius, quia auctoritatem habet à iure Religionis, &c.

51 Cla-

51 Clarius, vt iam dictum eſt: Miniſter abſoluto triennio præſcripto à Leone X., & ſemeſtri conceſſo à Statutis, ſiuè Pontificibus, patet, quod non habet votum ex communi calculo Religionis, *& ex P. Lezana concl.* 39. *num.* 10. Et prout fuit deciſum in vltimo Cap. Toletano: Modo detur caſus poſſibilis, quod in termino triennij, vel in ſemeſtri, Prouincialis moreretur, & eligeretur Vicarius, petitur ſic. Vel talis Vicarius pro illo tunc electus haberet votum, vel non? ſi haberet eſſet potior Miniſtro ipſo, qui eo remanebat priuatus, vt ità dicam, ſiuè potius ab eo abſolutus: Si non haberet, quo iure priuatur Vicarius, vt Vicarius, per hoc quod eſt mortuus Miniſter; ſi ſuccedit in omne ius ipſius Miniſtri? Si enim ſuccedit in onere, debet ſuccedere in honore, & non debet per hoc priuari iure ſuo ſibi competenti ex Officio abſque culpa, ſi verum eſt quod aſſeritis. Vel etiamſi diceretur, quod non habet votum, eo quia Miniſter mortuus nō habebat, vt abſolutus ab Officio, replico, ergo vt Vicarius non habet, nec Miniſter, vt Miniſter, niſi ſpeciali iure fuiſſet ſibi conceſſum à relatis Pontificibus. Dilemma hoc non poſſumus effugere per adæquatam reſponſionem.

52 Sed grauis obiectio, ne dicam apparens duntaxat, circa votum Vicarij adhuc fit à Lectore meo dilectiſſimo, cui debeo aliquo modo ſatisfacere, ne videar diminutus in opinione, negante votum in Vicarijs prædictis, ſic ergo opponebat. Loquendo Capitula

Gene-

Generalia ann. 1633. & 1639., de ſubrogatione Definitoris Generalis deficientis, vtuntur his præciſis verbis, *vt nullo euentu Nationes, vel Prouinciæ destituantur neceſſario patrocinio in Capitulis Generalibus, ſtatuitur, vt ſi contigerit aliquem ex Definitoribus Generalibus vita, vel Officio defungi, vel in Capitulo Generali non comparere, ſuffragetur alius ex eadem natione in ipſius locum, ex ijs, qui fuerunt, vel Procuratores, vel Commiſſarij Curiæ Romanæ, vel Definitores Generales, contra diſpoſitionem Generalis Capituli nuperrimè Romæ celebrati: Si verò nullus talis fuerit, ſubſtituatur Miniſter, Vicarius, ſeu Commiſſarius Prouincialis, ex qua erat Definitor defunctus, vel abſens, &c.* In Romana etiam Congregatione Generali, an. 1642. ſic. *Quando in vtraque Familia contingat, vt Definitores Generales, uel abſint, uel quomodolibet deſint, ſtatuitur, ut eorum loco ſubrogetur alius ex eadem natione, loco ipſius, ex ijs, qui fuerunt, uel Procuratores Generales, &c. Si uerò nullus talis fuerit, ſubſtituatur Miniſter, Vicarius, uel Commiſſarius Prouinciæ, &c.* Et in Cap. Generali ann. 1651. ſic. *In ſubſtitutione Definitorum Generalium abſentum, hic ordo obſeruandus eſt, quod primò ſubſtituatur, qui fuerit Procurator, & Commiſſarius Curiæ, ex Definitor Generalis nationis, ſi contingat caſu, & actu, ibi adeſſe, ſi iſti abſint, ſubſtituatur Miniſter, aut Vicarius, aut Commiſſarius Prouinciæ, ex qua erat Definitor abſens.*

His

His auditis, obſeruate, quod ſic ad litteram ſunt deſcripta ipſamet Statuta, vt melius cognoſcatis, & perfectiùs, quod non relinquitur locus obiectioni; & in primis notate, quod illi termini, *Miniſter, Vicarius, & Commiſſarius*, cum aliquali differentia videntur poni in citatis Statutis, ſed certè accidentali; quia verò magis fauet noſtræ opinioni, quàm contrariæ, ideò ſunt intimè diſcutiendæ; In primis Capitulis, ſic extenduntur. *Si uerò nullus talis fuerit, ſubſtituatur Miniſter, Vicarius, ſeù Commiſſarius:* In Congregatione Generali ſic, *Miniſter, Vicarius, uel Commiſſarius*: Et in Cap. 1651. ſic. *Miniſter, aut Vicarius, aut Commiſſarius Prouinciæ*. Et ſic habemus, quod aliquando ponitur particula, ſeu; aliquando, vel; aliquando aut; Et ideò ex hoc inferent opponentes, quod etiam in Capitulo Generali poſſunt ſuffragari, quia accedunt ad illud etiam Vicarij.

Sed (ò bone Deus) quàm frigida eſt hæc obiectio, quàmque fluidum argumentum? Nonne vides, quod contra Solem loqueris, ò Lector, & extrà publicam, & tritam valde deflecteris viam, errabundus per inſolitum iter? Tergiuerſatus quæris diuerticula, & certè folio ficulneo anguillam tenes, ſubere leuior, hinc indè fluctuans ſine radicibus vllis, ſed quicquid ſit de tuo dictamine, ego quidem contendo contra innixos parieti inclinato, & maceriæ depulſæ. Non enim vrget, nec cogit nos, quod aſſeris ex illis Statutis, ad

per-

permittendum Vicarijs Prouincialibus votum in electione Miniſtri Gen. Verum ne mihi ipſi deficiam, particulas illas, ſiue dictiones poſitas in Conſtitutionibus relatis, declaro, & explico: his namq; intellectis patebit intentum: dictiores igitur ſunt iſtæ, *vel*, *ſeù*, *aut*.

153 Dictio, *vel*, declaratiuè ſumitur pro id eſt, quando ponitur inter duas dictiones idem ſignificantes, ſiuè inter duo idem ſignificantia, vt hic, Vicarius enim, & Cõmiſſarius, vt iam diximus, ſunt ſynonima penes nos Fratres Minores, vt patet ex Annalibus, & idẽ important omninò, idemq; ſignificant; multotiès ſiquidem vſus eſt, Ordo noſter his terminis pro eodẽ officio; Immò clarè patet ex monumentis Seraphicis, quod ſi Miniſtri Prouinciales aliquãdo impediti nequibant ire ad Capitulum Gen., mittebant ad illud pro voto aliquem, quem modò appellabant Vicarium, aliquandò Commiſſarium, & modò Prominiſtrum. Et ſic indiſcriminatim vtebantur his nominibus:

Seù, deindè eſt potiùs copulatiua dictio, quàm alternatiua; immò ſæpè ſæpius ponitur declaratiuè, & expoſitiuè, quia eſt inter duas dictiones idem ſignificantes: & licèt aliquando ponatur inter diuerſa, arguit tamèn ſimilitudinem, & conformitatem; & ſic clarè patet, quod etiam poſita inter hos terminos, Vicarios, ſeù Cõmiſſ., explicat, quis ſit Vicarius, & Commiſſ., idem importãtes; & in iure aliqua eſt differentia inter has dictiones; *ſeù*, & *vel*. *Vel*, enim diſiungit verba, & mentem,

quando eſt disiunctiua: *Seù*, verò disiungit verba, ſed non mentem, & è contra, vbi coniungit, coniungit verba, & mentem, ſicut, *ſeù*, tantummodo verba.

Aut, tandem ponitur inter ſimilia, & æqualia, vt hic, & accipitur expoſitiuè pro; idest; *ſic ex Barboſa dict. 46. 363. & 415.* Quò præambulo, euidenter facto ad reſponſiones accedo, Vicarius enim non diſtinguitur à Commiſſario miſſo à Min. Prou., immò Commiſſarius appoſitus in Statutis poſt Vicariũ exponit ipſum; *ex Peyrino: in ſuo Formulario litt. V. cap. 6.* Dicendo ergo Statuta, Miniſter, Vicar., *vel, ſeù, aut*, Commiſſarius, exponuntur ſic; quod ſubſtituantur in locum Deffinitoris Gen., vel Miniſter, vel eius Vicarius, Commiſſarius, Prominiſter, ſi adſint. Omnes enim iſti, duos tãtum repræſentant, Miniſtrum ſcilicet, vel eius Prominiſtrum, quocunque nomine nuncupentur, quod certè confirmat P. Marchant in ſua Regulæ noſtræ expoſitione c. 8. concl. 1. Vbi inquit, *Miniſter Generalis eligi debet à ſolis Miniſtris Prouincialibus, & Cuſtodibus, ſeù eorum Viceſgerentibus*, & in fine Concluſionis, exponendo iſta Verba, *ſeu eorum Viceſgerentibus*, ſubiungit; Ob Commiſſarios Prouinciales, qui Miniſtris impeditis ſubſtituuntur, & P. Miranda.

54 Huiuſmodi Prominiſtri, Vicarij, ſiue Commiſſarij Miniſtrorum miſſi ad Capitulum Gen. vi Statutorum Generalium Reformatorum ſic inſtituuntur *c. 8. nu. 43.* his verbis. *Eſſendo il Miniſtro legitimamen-*

te impedito d'andare al Capitolo Generale ſi manderà vn Commiſſario in ſuo luogo da elleggerſi dal Miniſtro, Diffinitori, Cuſtode, e Padri della Prouincia,&c. Sed ex Decreto Sac.Congr. pro Reformatis habetur alia forma huiuſmodi electionis. Ex Generalibus verò Statutis Ordinis ann. 1642. c.8. §.8. nu.3.4. ſic. *Si Prouincialis Miniſter ad Capitulum Generale accedere nõ poſſit, à Definitorio eligatur Commiſſ., qui Prou. votũ deferat ad Capitulum, ad quod officium eligi nõ poſſit, qui in Prouincia non fuerit legitimè incorporatus &c. Et declaratur nullum Prouincialẽ poſſe deſtinare aliquem, vt deferat ſuũ ſuffragium ad Capit. Gen., ſi in itinere defecerit, quia tunc non adeſt Definitoriũ &c.* 55 Et proindè illorum munus, & officium eſt *ex P. Miranda tom. 2, q. 15. art. 2. concl. 2. & Rodriq. tom. 1. q. 55. art. 3.* habere in ipſo Capitulo vocem actiuam, & paſſiuam in omnibus electionibus, ac ſi eſſent veri Prouinciales. Sed quia duplex inſurgere poteſt difficultas, inquit ipſe, cõtra hoc, quod dicitur, quod ſcilicet Commiſſarij vocem habeant actiuam, & paſſiuam in electione Min.Gen., ſicut cęteri vocales, ideo vtraq; eſt proponenda, & reſoluenda. Prima ſi quidẽ eſt tali, quia id videtur expreſsè obſtare, & contrarium eſſe noſtræ Regulæ, in qua dicitur, quod electio Gen. fieri debeat à ſolis Min., & Cuſtodibus, vt dictũ eſt. Prædicti verò Commiſs. non ſunt propriè Min. Prou., neque Cuſtodes, ergo non poſſunt habere vocem in tali electione. Secunda hoc item vide-

tur eſſe contrarium Dec. Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *de Regul. c.* 6. quo prohibetur expreſsè abſentiũ voces in electionibus, & ſuffragia ſuppleri. Quarè reſpõdetur per ordinem. Ad primum, quod reuera ſuffragium ſupradicti Commiſs. eſt quaſi eiuſdem Prou., cum in ea electione ſuffragetur, ex ipſius, & Prouin. commiſſione, quam dare optimè potuit, cum certum ſit in iure, & ſecundũ Sac. Canones in c. quia proptèr de electione, quod abſens iuſto impedimento detentus, poteſt conſtituere Procuratorẽ, qui eius nomine eligat, & etiã quia authoritate Apoſtolica hoc item poteſt fieri, & per Statuta generalia ab iiſdem Pontificibus cõfirmata, cum præſertim deputentur à toto Definitorio. 56. Ad ſecundã verò dicitur, quod neq; hoc eſt ſupplere vocem abſentis, nec eſt ſuppletio, ſed vera commiſſio, voti nãq; ſuppletio tunc eſt, quando Prælati Gen. ad effectum alicuius electionis eos qui non ſunt veri Prouin. nec Cuſtodes aſſignantur pro abſentibus, vt ipſa ſuffragia ferãt, & ſic eſſet de Vic. Prouin. ſi admitteretur ad votum. Vocentur ergo Prominiſtri, Viceſgerentes, Vicarij, Commiſſarij, huiuſmodi Vocales, parum refert, idem enim omninò important. Et verè totum hoc confirmabit altera conſideratio facienda circa rei nouitatem, omninò repugnantẽ noſtræ Regulæ, vt ſæpè diximus, quod ſc. Vicar. Prou. poſſit ſuffragari in electione Min. Gen. & ſic patebit ſufficiens reſpõſio &c. Sed tu modò his meis obiectionibus reſponde ſi potes.

Prouin-

Prouincia aliqua caret Miniſtro; habet ſubrogatum Vicarium de iure Religionis; Iſte Vicarius poteſt ne impeditus mittere Prouicarium, ſiuè eius Commiſſarium ad Capitulum Generale, ſicut poſſet Miniſter, ſi viueret? Et ſi poteſt, vnde hoc? Si non poteſt, quare? Non ne per te habet eandem authoritatem Miniſtri defuncti? quis ergo poſuit terminum in Vicarijs, qui non poſſit extendi?

57 Item, moritur Miniſter profectus ad Capitulum Generale in itinere, hoc audito à Vicario Prouinciali, ſiuè Commiſſario Prouinciali electo per ſchedulas inter nos Reformatos ex Decr. Sac. Regul. Congregationis ann. 1645., determinat ipſe accedere ad Capitulum Generale eoquia ſubſtituitur per vos in omnibus in locum Miniſtri demortui, & de facto itineri ſe committit: poteſt ne hoc facere, vel non? ſi poteſt, quæro quo iure? ſi non poteſt, quæ eſt ratio negationis? Hic taceo Statutum, in quo toties fuit prohibitum Miniſtris, & Cuſtodibus, mittere ſuos Procuratores ad ferendum ſuffragium, ſi deficiunt in itinere: 58 Solùm addo; Vicarius Prouincialis accedit per vos ad Capitulum Generale, relicto per neceſſe in Prouincia ſuo Prouicario, ſiuè Commiſſario, qui verè erit Vicarius Vicarij, poterit ne in ſimili caſu mortis, ſicut dictum eſt de Miniſtro deficiente in via, etiam ipſe accedere, cum habeat eamdem authoritatem, ſicut primus, & quia electus item à Definitorio,

 vel

vel ſaltem cum conſilio Patrum inter Obſeruantes, & per conſequens ſucceſſor, & Vicarius verè Miniſtri de mortui iuxtà Statutà? Si poteſt, quæro, quo iure fultus, & facultate? Si non poteſt, qualis reſponſio adæquata? Ergo dato, & non conceſſo, quod terminus, Vicarius, in Statuto poſitus intelligeretur de Vicario Prouinciali electo poſt mortem Miniſtri; 59 Quis propter hoc inferet in neceſſariam conſequentiam, illuc acceſſiſſe cum voto in illa electione? Quis cordatus potiùs non dicet, caſu, & fortuitè, vel acceſſiſſe, vel cum obtenta licentia, & pro manifeſtanda ſuæ Prouinciæ aliqua neceſſitate, vel item vocatus dignis de cauſis? &c. Concedite ergo libentiùs, quod ille terminus, Vicarius, ibi poſitus, intelligitur pro Commiſſario, ſiuè Prominiſtro, ſiuè Procuratore: Non eſt enim aliter ambigendum, niſi velimus eiſdem Vicarijs Prouincialibus votum concedere in Capitulis Generalibus contra Regulam, Statuta, & conſuetudinē, quæ quidem lance fideli, & pondere conſcientiæ debent expendi, ne abuſus irrumpat.

Et quæſo non ampliùs conteramus tempus, in enucleandis, digerendis, & propugnandis, principijs noſtræ Regulæ, & Religionis. Iàm enim eſt ſatis librata intentio eorundem: qua profundè perpēſa potes æquitatem iudicare; aduertendo quòd in rē tam graui, vni duntaxat teſti, ſi adhuc eſſet, non eſt adhibenda fides, etſi Cato dicat, aut Ariſtides: Sapienti pauca: Vna hirundo

hirundo non facit ver; nec exempla contra torrentem veritatis conuincunt, nec poſſunt præualere, aut admitti; Cum nec momentum faciant certè, nec momentum ſtateræ: 60 Etſi aliquando oppoſitum contingit ex in aduertentia potiùs, quàm dolo, non eſt admittendum in poſterum, ſi quidem factum non præſumitur, niſi probetur. Et nihil indè inferri poteſt, tùm quia factum contra ius, pro non facto habetur: factum ſi quidem non attenditur, ſed quod debuit fieri: Immò de facto reuocandum, quia facta de facto etiam ſunt de facto reuocanda, iuxtà notata paſſim in vtroque iure. Et ideo ſi quis in Capitulo, ſiuè Generali, ſiuè Prouinciali, ſe ſe opponeret contra votum Vicariorum, eſſet audiendus. 61 Pro comperto namq; eſt, quod factum vnius non debet alteri nocere, nec facto alterius debet quis prægrauari, & onerari, &c.

62 Et ne prædictis vllus cuicunque tergiuerſationi relinquatur locus, in gratiam amantiſſimi mei Lectoris, ſupereſt quid curioſius, explicandum, & cogor item addere circa votum huiuſmodi Vicariorũ; quod votum, de quo loquuti ſumus, & quod Miniſtri ſolummodo Prouinciales, & Cuſtodes, habent in Comitijs Generalibus, dicitur conſultiuum, deciſiuum, & electiuum. Electiuum ſi quidem reſpectu Miniſtri Generalis, aliorumque Officialium: Conſultiuum, & deciſiuum, reſpectu negotiorum totius Ordinis: & hoc

diximus non habere Vicarios niſi eiſdem detur,& concedatur à legitima authoritate. Conſultiuum tantum permitterem, quia ſi (vt aliquando factum eſt) citarentur ad Comitia Generalia, pro tractandis negotijs pertinentibus ad totam Religionem, poſſent Superiores, illos conſulere, ſicut, & cæteros, non verò decidere, aut eligere, niſi, vt dictum eſt, ſpecialiter concedatur à iure.

Miniſtri deindè in Capitulo Prouinciali habent ex iam citatis diplomatibus Pontificijs, votum in Capitulo Prouinciali pro eligendo nouo Miniſtro, & à iure in Definitorio, cum actu gubernat, ſimul cum Definitoribus, qui omnes pariter ex Bullis iam relatis, & ex Statutis Generalibus paſſim, & præſertim an. 1590. 1593. 1625.& 1642. 1663. Habent verè conſultiuũ, deciſiuum, definitiuum, & electiuum: hac duntaxat differentia tamen, quod illud deciſiuum, quod habent Cuſtos, & Definitores, eſt tale in cauſis, & ſententijs ferendis, negotijſque Prouinciæ peragendis, Miniſter verò ſuprà hoc habet, vt ità dicam, aliud deciſiuum, in paritate votorum, in electionibus faciendis, & negotijs decidendis ſic, quod eſt quaſi aliud ſecũdum votum, vel ſaltem dimidium voti, per quod, vna pars excedit alteram, & ſic concluditur canonicè, quod non concluderetur, ſi ſtaret æqualitas inter vota, ſiue ſuffragia Definitorij. Eſſetque ridiculum, ne dicam abſurdum, ſi daretur hæc deformitas in Definito-

rio,

rio, quod ſcilicet omnes Definitores, vel alij haberent hanc ſecundam deciſionem, quam ſolus habet Præſes, vel Miniſter; Eſſetque tunc Acephalum illud Definitorium, ſiuè potiùs Hydra.

Quare hoc quidem votum omninò in Definitorio Prouinciali, Vicarijs ipſis, dum actuales ſunt, & Prouinciam moderantur, eſt concedendum, ſine vllo dubio, tunc enim eſt annexum, & connexum neceſſariò cum ipſa omnimoda iuriſdictione, & authoritate gubernij, neque ſine hoc voto, ne vtiquam eſſet ſufficienter prouiſa Prouincia de Superiore; qui poſſet in omnibus, & per omnia, prouidere ſuis ſubditis in neceſſarijs; & opportunis: Debet enim conſulere, decidere cauſas, ſi quæ eſſent, & eligere, in vacantijs Superiorem localem, & cætera peragere, quæ ad perfectum gubernium requiruntur, quod tamen non video intelligendum, ſeu concedendum pro Capitulis, in quibus eliguntur Superiores tàm Generales, quàm Prouinciales, nullo enim modo hoc ſpectat ad gubernium Prouinciæ.

Caſus Parergon.

ET tandem pro Coronide iurium, rationum, & huius ſubiectæ materiæ, Parergon duntaxat adfibulo, & connecto, quamquàm enim, quæ hucuſque ſuperius ſunt dicta; euidenti gaudeant probabilitate,

ne dicam veritate, ſi tamen res hæc adhuc minutius penſiculetur, noſtrum eouſque inducet intellectum, vt ſe captiuum præbeat, & obligatum in obſequium veritatis.

Corollarium primùm. Inter ergo recenſita fundamenta partis, vnum hactenus reſtat diruendum, & euertendum, & catapultis obruendum. Aiebant ergo PP. opponentes in fauorem Vicarij ſubrogati; ſubrogatum ſapit naturam eius in cuius locum ſubrogatur, *ex l. ſi eum. §. qui iniuriarum eius ff. ſi quis caut. & Doctoribus.* Et ex hoc principio, ne dum prætendebant durationem triennij, manutentionem officij, & cætera priuilegia, ſed, & conſequenter, & votum, præcedentiam, & paternitatem &c. quare cum omnibus debitor ſim, explicabo qualiter intelligatur hæc maxima iuriſtarum.

Primò quidem, eſt vera, quando ſubrogatus eſt æqualis conditionis cum eo, cui ſubrogatur. *Menoch. Barboſa; & alij &c.* Sed hic aliud eſt eſſe Miniſtrum, aliud eſſe Vicarium.

Secundò, quia id intelligitur, quantum ab ſubſtantialia, & non accidenralia: *Surdus de alimentis.*

Tertiò: in ſubrogato per legem non per hominem; quod quidem ad rē noſtrā poſſet dici in ſubrogato per electionē electiuam, ſed nō per non electiuam. Prima enim eſt à toto Capitulo ex vi Regulæ: ſecūda à Compromiſſarijs, quod eſt idem, quod ab homine, etſi per iura Religionis. Quartò,

Quartò, limitatur in eo, quod eſt ſpecialiter attributum: tuncenim in eo ſubrogatum non ſapit eandem naturam, nec ſubrogationis Regula id extendit, quod fuit ſpecialiter conceſſum, prout eſt de voto Miniſtri in Capitulis Prouincialibus, vt viſum eſt ſuprà.

Quintò; limitatur in priuilegijs, quale eſt hoc de præcedentia, & paternitate in Vicarijs, (quæ ſunt conditionales, & non abſolutæ ſicut in Miniſtris,) nec obſtat, quod idem honor, qui debetur Miniſtro, debeatur etiam eius Vicario, quia ſcilicet vices alterius gerens repreſentat perſonam illius, & eodem iure vti debeat ſicut principalis. Hæc enim omnia ſolum probant Vicarium debere vti eodem iure, & eodem honore, quantum ad iuriſdictionem erga ſubditos in regenda Prouincia; non autem, quantum ad prærogatiuam dignitatis, & ordinis, vt dictum eſt declarando terminum Vicarij.

Sextò: hoc axioma procedere aiunt in ſucceſſore ſubrogato, in quem tranſeunt etiam ea, quæ ſunt de iure ſpeciali; non autem in alijs, qui ſubrogantur ad ſupplementum; Miniſter vero dicitur verus ſucceſſor defuncti, & non Vicarius, & ideo in ipſum etiam tranſeunt, quæ ſunt de iure ſpeciali, quia ſuccedit in omnibus: non ſic Vicarius, vt Vicarius. Maius namque ius habet ex Doctoribus Vicarius, quam Rector; *ſic in deciſ. Rotæ paſſim; Sigiſ. dub. 74. nu. 5. & ſup. n. 64.*

Nec etiam hoc in ſe, & ex natura rei videtur verũ,

quia

quiam maior reuerentia debetur principali, & non vicegerenti, & ad hoc facit, quod fortior, & potior, immò maior videtur dignitas; quam quis habet iure proprio Regulæ, quam quæ competit ex Compromiſſo ab hominibus adinuento in ſupplementum principalis, quouſque prouideatur de illo; & hoc ſic eſt firmatum in iure, quod, etſi vnus Vicarius Prouincialis inſtitueretur ab ipſo Pontifice, non per hoc, nec minus ſaperet naturam ipſius Miniſtri inſtituti ex Regula, aut à Capitulo Gener. Ordinis; quia etſi congruum videatur, quod inſtitutus à maiori, & digniori, ſit etiam præferendus: hoc tamen procedit cæteris paribus, & cum æqualibus, & eiuſdem rationis: Et ſic præferendus eſſet iſte Vicarius electus à Pontifice omnibus Vicarijs electis à Definitoribus, & non Apoſtolicis, non autem maioribus in dignitate, quales ſunt per ſe Miniſtri Prouinciales, niſi aliter decerneret Pontifex ipſe, cui omnimodè ſubijcimur. Nec inſtitutio Apoſtolica in hoc aliud operatur niſi, quod ſic inſtitutus ad officium Vicariatus, non poteſt conueniri coram inferiobus ſuper tali inſtitutione, aut inſtitutionem illam in dubium reuocare, niſi titulo ſubreptionis; eo ipſo enim, quod Pontifex in aliquo negotio manum apponit, cenſetur ad ſe illud auocare, ac ſubindè inferioribus auferre poteſtatem cognoſcendi de illo: Sic communiter: Cęterum talis inſtitutio Pontificia, nullum maius ius, nullum maius priuilegium, prerogatiuam, aut preeminentiam,

nentiam, præbet, quàm ſi fieret à Capitulo, ſiuè potiùs à Compromiſſarijs,& à lege. Tum quia Pontifex concurrit cùm Religione ipſa; & in defectum ipſius; tùm quià in tali prouiſione nullo modò alterat, ſeù immutat naturam dignitatis, & officij, quod prouidet, vti ex inſtitutionibus ipſis poteſt videri; tantùm enim valent, quantum ſonant. *Ex Lezana Conſult. 28.*

Corollarium ſecundum. Poſtremum, & vltimum argumentum, deſumo à præcedentia, & paternitate Vicarijs conceſſa à non multo tempore inter Obſeruantes Patres, non verò Reformatos: ipſis enim conceditur, ſi per biennium durent in munere, & labore: quod quidem non eſt dicēdum de Miniſtrijs *ex P. Sanctor. de pænis c. 30. pag. mihi 399. ſeipſum retractante de dicto in Comment. Stat. 60. pag. mihi 706. & pag. 891.* Exceptio enim legis firmat regulam in contrarium, & ratio hæc eſt præcipua. Ea, quæ ſunt per ſe, iure anteponi debent illis, quę ſunt ſolum per accidens. Sed ſic eſt, quod Miniſteriatus eſt per ſe, Vicariatus verò per accidens, ergo debet anteponi vbicunquè ponatur; idem .n., vt idē ſemper natum eſt facere idem; & omne tale vbicunq; ponatur, ſemper eſt tale. Ideoq, vnquam Vicarius emeritus præcedet Miniſtros emeritos, vt declarat Statutum: Immò Vicarius actualis nequit ex natura rei extra ſuam iuriſdictionem præcedere Miniſtrum etiam ſi ſit antiquior, quia certi iuris eſt, quod maior dignitas præcedit minorem. Et hoc quidem

obſerua-

obſeruatur omninò in Capella Pontificis, vti videre eſt ex Cæremoniali Romano, Rota, & Sacra Rituum Congregatione. Nullus enim Vicarius Generalis præcedit quemcunque Generalem etſi vti Generalis deberet præcedere alium: Exempli gratia. Generalis Ordinis Prædicatorum præcedit alios Generales Mendicantes, Minorum, ſcilicet, S. Auguſtini, Carmelitarum, & Seruitarum, ex priuilegijs, aut conſuetudine; ſi tamen Religio Dominicanorum careret ſuo Magiſtro Generali, haberetque Vicarium Generalem, ſi accederet ad dictam Capellam, præcederetur ab alijs Generalibus Mendicantibus, quia Vicarius, vt Vicarius, nō præfertur vllo Generali, cum ſint diuerſi muneris, & dignitatis. Quod quidem poſſet probari multis exemplis, tum in Concilijs Generalibus practicatis, tum vbique locorum, & iuribus communiter. Vide tamen P. Lezanam Conſult. 28. quia ad ſatietatem diſcurrit ſuper hoc, & ab eo didici; Etſic mihi ipſi ſupplicanti Romæ fuit aliàs reſponſum ab Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Cæremoniarum Magiſtro, & Præfecto (vt dignaretur concedere acceſſum ad ipſam Pontificiam Capellam Reuerendiſs. P. Dongo noſtri Ordinis Vicario olim Generali) quod videlicet, non poterat hoc permittere ſuprà alios PP. Generales Mendicantium, quia etſi mihi videbatur in omnibus, & per omnia ſuffectus in locum Miniſtri Generalis totius Ordinis, & quod videretur ſolum differre nomine, prout in

caſu

caſu noſtro dicunt opponentes. Subiunxit tamen, quod quidem in iuriſdictione concederet meum aſſumptũ, non tamen in priuilegijs realibus, & perſonalibus, conceſſis Miniſtris Generalibus; Et concludendo tandem, quod etſi eſſent pares in authoritate, differebant tamẽ in electione; prima nãque Miniſtrorum Generalium eſt à toto Ordine, ſecunda verò à paucis. Et ideò non debent eiſdem perfrui priuilegijs, & gratijs, nec minus ſedere cùm illis. Quarè certè miror, quomodò Religio noſtra, ſic diligens, & prorſus occulata in cæteris, circa hoc tamen cæcutiat vſque modò, non præuidendo ſpecialiter de Vicariorum authoritate, & voto, duratione; & Prominiſtrorum ſeſſione; in Capitulis Generalibus, ſicut prouidit de præcedentia, & paternitate, vt ſpero futurum his noſtris temporibus, pro diſſecandis controuerſijs inter Fratres, & dubijs.

Differentem ſi quidem puto deberi ſeſſionem, & Vicarijs Prouinciarũ electis poſt mortem (dato, quod in futurum concederetur eiſdem votum in electione Miniſtri Generalis à debita authoritate.) Et Prominiſtris, ſiuè Vicarijs miſſis ab ipſis Miniſtris Prouincialibus impeditis: Primis etenim debet dari poſt Miniſtros in eodem Capitulo Generali, ex iam dictis: Secundis verò propriam ſuorum Miniſtrorum ex iure communi, Doctoribus, & præcipuè *ex P. Peyrino in ſuo Formul. litt. V. cap. 6. num. 3.* (obiter addendo de mente eiuſdem) quod ſi moriatur Miniſter Prouincia-

lis

lis in Prouincia poſt miſſionem ſui Prominiſtri, & iàm acceſſerit ad locum Capituli Generalis, fueritque admiſſus ad acta Capitularia, vti verus, & legitimus Vocalis, non poteſt amplius repelli: Non ſic verò ſi nondum ſit admiſſus, quia illa poteſtas morte ſpirat concedentis: Poſſet quidem admitti à toto Capitulo, nemine diſcrepante, tanquàm extraneus, vt dixi ſuperius addito quod Prouincia, cuius eſt Vicarius, ſiue Prominiſter, & Commiſſarius à Prouincia electus, videtur non poſſe priuari iure, quod habet in electione Generalis. *ex eodem ibidem litt. V. c. 6. num.* 16.

Verum, ex Conſtitutionibus PP. Conuentualium, Vrbaniſtis vocatis in cap. 8. tit 2. num. 3. §. de Commiſſario miſſo ad Capitulum Generale loco Miniſtri, & de eius loco ſibi debito ibidem, ſic concluditur aliter. *Quoad præcedentiam verò, poſt omnes Prouinciales inter cæteros (ſi plures adeſſent) Commiſſarios, ſedeat, eumque locum inter eos teneat, qui eius Prouinciæ, cuius Miniſtri vices obtinet iure debetur.*

De duratione poſtulo, quia etſi clariſſimus ſit ſenſus Statuti Generalis ann. 1639. tamen, quia retorquetur in ſenſum obſcurum, eget clariori dilucidatione; mihi ſiquidem nullum faceſſit negotium, quod verè ſit in arbitrio Superioris Generalis, tàm prorogatio, quàm anticipatio; Quare &c.

Verè (mi Lector) nimis digreſſus ſum, & diuagatus ab immediata diſputatione, ſed parce, quæſo, quia, & morem

& morem geſſi, cui debitor ſum, & neceſſaria mihi viſa fuit hæc materia Vicariorum à noſtris reſeruata calamo, commiſſaque poſteris.

Et ſcito ſolùm, quomodo in omnibus relatis iuribus, omnia fundamenta apparent, & manifeſtantur; quæque aperienda ſunt enucleaſſe, vt eorum firmitate conſpecta, ſileant contradicentes, ſinantque tot Tragedias excitare alij, cum Regularis pacis detrimento, & iurium tranſgreſſione; Hæc enim omnia ſunt, quæ deſiderabantur in Decreto citationis ad Curiam Romanam ſuper validitate Vicarij, & deputatione Miniſter Prouincialis.

Et ſic iàm tres abſoluimus partes ex quatuor noſtri Caſus; ſupplenda modò eſt quarta, & vltima. Reſponſio videlicèt ad obiecta partis opponentis, vt magis, ac magis iuſtitiæ lux ſplendeat, & veritatis. Duæ ſi quidem optimæ doctrinæ ſunt partes, ſua ſcilicèt ſtabilire fundamina, & aliena repellere. Verum hìc Rhodus, hìc ſaltus.

Reſpondendum eſt, (inquam) ſed certè, vel timeo, vel potiùs nollem: aut enim in expreſſam impingam temeritatem, aut fraternam offendam Caritatem, aut denique Religioſum turbabitur obſequium. Doctrinâ etenim ſic ſanam Dominorum meorum ſapiëtiſſimè verè, rectiſſimèque in eorum refertam conſultis, redarguere, vel in minimò iudicare, quis certè poteſt abſque temeritatis nota? Diſſertatorum Patrum noſtrorum

ſtrorum carpere feruorem ſubitum, nimiumque litis zelum, ſine religioſarum aurium offenſione, quis valet? Audacter, (vti par eſſet) eorundem argumenta retorquere, & rationes, qualis erit Apoſtolici viri modeſtia, erga amantiſſimos ſuos; vel exteros competitores? Ad hæc certè exhorreſcere, concuti, ſupplodere, & excandeſcere, ferè mihi ipſi videor, ni deſiſtam ab opere; immò multi fortaſsè dicent, non rationes pugnaſſe, ſed affectus. Quo circa poſt longam ferè duorum menſium meditationem, & ſtudium, adhuc me tenet angor non leuis, & anguſtia, & quo me vertam anceps ignoro. Si enim ad vnguem reſpondeam, magnum aperiam campum vlteriori digreſſioni, per quem, etſi non parum, fuerimus diuagati, non tamen longius æquo, immò breuiori non licuit vti compendio, vbi tantoperè Domini mei, & Patres mei dilectiſſimi proprio ſeſe diffuderunt Marte, & ſine Minoritico Gnomine Iuris: diffusè ſatis materiam tetigerunt, ſed non attigerunt, diſtinxerunt, & concluſerunt de Vicarijs in communi, ſed non adequatè, aut benè, de noſtris. Gloſſarunt, reſponderunt, & pro viribus impugnarunt, ſed ad rem non propriam, immò potiùs vagam: multa congeſſerunt in eorum documentis, ſed abſque re intenta, ſeù confusè. Conſuetudinem pro ipſis ſuppoſuerunt, ſed inutiliter, & falsò; & proindè exempla, & caſus, contempſerunt: Quid amplius? ad Ius præcisè commune confugerunt, nihil, aut parum

de

de Ordinis noſtri iure proprio curantes. Vix per tranſennam iura noſtra meditati ſunt, ideoque malè intellecta, quaſdam apparentes rationes adiecerunt, vbi vera argumenta defecerunt; Prudentum tamen iudicio plus cauſæ obfuerunt, quàm profuerunt; quid namque infirmam magis aliquam ſententiam eſſe confirmat, quàm rationes non firmæ, vagæ, & exiles, aut non rationes, ſiuè paruæ coniecturæ, vndequaque conſtipatæ? Ad quid citare Statuta Turonenſia, quæ vel non fuerunt, nec vnquam Ciſmontanos obligarunt, vel non ſunt in vſu, nec ad rem pertinent? Quod certè diminutè, quod confusè, quod ordine turbato, & tẽpore Minorum Iura, & leges retulerint, contigiſſe puto fortaſsè, vel ex cognitione confuſa, vel quia nimis ſubita fuerit ab ipſis meis Patribus, inſtituta diſſertatio: eorum argumenta, etſi ipſiſmet viſa ſint ſpecioſa, alijs tamen, vel tumultuaria, vel non robuſta; ex eorum dictis nonnulla ſunt, quæ minus arrident, reliqua, vel diaphora, vel certè diſparata: Nec miror, quia vſquemodò ſuper hac Vicariorum materia, in dormiuimus omnes: ac proindè ob ignota principia noſtra improprias, & incertas Domini mei deduxerunt illationes, & cum vellent refractariè tueri cauſam, nouis implicarunt difficultatibus, ideoq; non mirum ſi iuxtà vulgare proloquium, non litem ſoluit, qui litem lite reſoluit. Nihil enim difficilius eſt, quam nigredinem tingere, aut mendacium honeſtare vero.

Igitur quia ad ſingula eorum aſſerta adamuſſim reſpondere, & ad ſingulos eorum anfractus, declinare non valeo, nec eſſet breuitati conſulere, ſed potiùs liberè nimis eructare parabolas, aut intortum aliquod proferre; mecum proindè decreui, Religiosè cedere modeſtiæ, & non contumeliæ. Duntaxàt exſcripta Statuta, noſtraque iura, ſimul Collegi, & quæ noſtram confirmant intentionem, ſelegi: Et modò Lectori propoſito, vt pro Doctore ſint, & Iudice; ſicque cunctis diſpaleſcat omninò, quàm ſit difficile animis altiùs infixam veritatem à ſua ſede deturbare arietibus imbecillibus: Meis præmiſſis, vcatur Lector beneuolus pro aduerſariorum examinandis rationibus, probandis authoritatibus, conjecturis, & conferendis argumentis, aut prorſus trutinandis fundamentis, & deducendis concluſionibus. Firmiſſimas Iurium noſtrorũ, ne dicam formidandas baſes, ſuper quas ipſæ Vicariorum prouiſio, & duratio, ſunt ſuperſtructæ in medium adduxi, omnem adhibui operam pro eruenda ex ruderibus veritate, & (vt mei potuit tarditas ingenij) ruminando negotium, nihil intentatum, aut indiſcuſſum, prætërij; Multa pro re noſtra ſolidiùs oportuit ſtabilire, plura contrariæ parti refutare, aliaque rationum repagulis cohibere: Et certè diſpereo, ni Apinis, & Tricis debiliora eorum videantur fundamina, nec hilum proficientia. Ero igitur Dauus, non OEdipus, in ſequentibus: Doctis committo enigmata ſoluere,

ſoluere, non Zoilis. Et hæc præmiſi, ne ſilentium trahatur in conſenſum, aut diſſimulatio in conſcientiam.

Pro parte igitur Breui Pontificio ſe opponente, quatuor propoſuimus poſt deſcriptum, & enarratum factum noſtri Caſus, doctiſſimorum, & ſapientiſſimorum Virorum monumenta, quibus eruditè ſatis, & egregiè ſui clientis partes, & Iura defendebant, quapropter (vti modò proteſtatus ſum) duntaxat commonefaciam Lectorem, quo recurrendum pro adæquata reſponſione dictorum ab ipſis, & Doctrinæ. Et in compendium reducam, ne repetitis documentis iàm ad ſatietatem productis, & in Superioribus prænotatis, illum tædio potiùs afficiam, quàm ſatisfaciam veritati.

Narrant ergo in primis factum ipſum, etſi breui manu, & ſatis diminutè, illud tamen libentèr admittimus, ſed, quia dein fundant eorum intentionem in electione canonica, & confirmatione ſui Vicarij, confusè ſatis diſcurrentes ſuper materia Vicariorum Prouincialium noſtræ Religionis, proindè ne replicem, aut actum agam, remitto Lectorem ad iam dicta ſufficienter ſupra.

Ibi enim ſatis diſtinguo de Vicarijs, de eorum electione, de confirmatione, & itèm de eorum Iure, & duratione. Nihil enim omninò proficit eiſdem electio Canonica, & confirmatio, in ordine ad continuationem triennij iam incepti à Miniſtro defuncto, vti

prætendunt velis, & remis Domini mei, & Patres oppONentes.

Item prætenditur ab ipſis per talem electionem fuiſſe quæſitum ius durationis ad finem triennij, ideoquè dum Sanctiſſimo non fuit illud notificatum, gratiam laborare defectu intentionis. Nec conſiderat pars opponens, quod hoc eſt manifeſtum æquiuocum, præſertim, ſi attendatur iuris communis diſpoſitio, & Statutorum Ordinis, immò & Breuis, *Creditum, &c.* Vrbani 8. ann. 1625.

Ius ſiquidem commune non concedit huiuſmodi Vicarijs aliquod Ius ad officium, ſed ſolum exercitiũ, & duntaxàt dicuntur ſuffecti, & ſubrogati pro eo medio tempore, donèc ſequatur electio ſucceſſoris Miniſtri, iuxta Clement. Exiui de Paradiſo; ibi enim determinatur, quod Vicarius Ordinis ſuppleat vices Miniſtri Generalis vſque ad tempus Capituli. Confirmaturque hæc doctrina ex communi calculo Doctorum ex iam dictis.

Et præcipuè ſi diligenter attendatur egregiè doctrinæ *D. Fagnani in 1. par. 5. lib. Decret. de Simon. c. per tuas, il primo. nu. 7. Et Lezanæ conſul. 42. per totum,* etſi inter ipſos pugnent in concluſione. Pro re noſtra tamèn concludunt hanc materiam luculentèr ex corũ præmiſſis. Attende eiſdem diligentèr: quod totum, etſi pars ipſa contraria omninò concedat, vt verò effugiat difficultatem, dicit, quod per Statuta alitèr diſponitur;

nitur, & non videt quia adhuc æquiuocat, quia ius municipale Religionis non ſolum diſponit idem, ac ius commune, ſed quod etiam contra eum magis vrget, vide ſuprà.

Statuta deinde Ordinis, nec minus tribuunt maius aliquod ius talibus Vicarijs, vt patet, in iam citatis ſuprà (ſi excipimus, vt debemus, Vicarios Obſeruantum antè Leonem X.) Et præſertim Statutum ann. 1639. ex ipſo enim, hoc officium nullum habet tempus determinatum, & certum, eius durationis, ſed tantum donèc fiat electio noui Miniſtri, ad quam poteſt illicò deuenire Superior Generalis, cum ab eo, & eius arbitrio, pendeant, & prorogatio, & anticipatio Capituli. Minuſque contrarium reperitur ſancitum per Breue, *Creditum*, Vrbani, dum ſatis apertè in eo ſupponit hanc Superioris facultatem in primo anno Officij Miniſtri prædefuncti. Et meritò in iſto caſu, voluit Pontifex Officium Miniſtri noui, & recentèr electi, durare per triennium, quia agitur de Officiali in capite, & vero Superiore Prouinciæ, ad differentiam Vicarij, de quo loquuntur Statuta, vt ſuprà, & cui Miniſtro tribuit ius durationis per triennium, quatenùs ſibi proprium ex Pontificibus, & Iuribus, & non Vicario, cui meritò determinatum eſt, non acquirere ius aliquod ad certum tempus, & fixum, ſed reuocabile ſtatìm ac creatus eſt nouus Prouincialis, vt patet ſuprà.

Et ſic falſum ſuppoſitum partis opponentis, quod

videlicèt electio, & confirmatio Vicarij darent iùs quæſitum ad complementum triennij; debent enim inſpicere, quod complere triennium, competit Miniſtris ex Bulla præſertim Leonis X., non verò Vicarijs, etiam per mortem Miniſtrorum; Cum enim ſint valdè diuerſa hæc, à diuerſis non fit illatio, ex proloquio Philoſophorum, & legiſtarum. Immò æquiuocant Domini mei, cum dicunt, quod ius Vicarij per electionem prædictam, dicatur quæſitum: fuit enim verè quæſitum ius Vicariatus, & conſequenter continuandi vſque ad Capitulum, & electionem noui Miniſtri, ſed non quæſitum, ad continuationem: Iſtud enim ius, eſt Miniſtri, & non Vicarij, vt diffusè dictum eſt.

Item æquiuocat Vicarius ipſe electus, cum dicit, ſibi deberi priuilegia Patrum Prouinciæ, & præcedentiam: Hæc enim nedum ſunt falſa abſolutè inter Reformatos, ſed, & inter Obſeruantes, quia hæc ſolum debentur cum conditione, quod durent per biennium; Noſter verò Vicarius, nec poterat, nec debebat, tandiù durare de Iure, niſi cum manifeſta iniuria Prouinciæ; ſi abſque graui neceſſitate prorogatum fuiſſet Capitulum ad complementum triennij, vt abundè habemus ex dictis.

Quæ quidem omnia coadiuuantur ex eodem Breui: *Creditum*, Vrbani, quia dùm in illo, Miniſtris (etiam poſt deputationem Vicarij ſtatim factam poſt mortem Miniſtri, ne Prouincia remaneret ſine neceſ-

ſario.

ſario gubernio, & regimine) tribuit triennalem durationem, hinc infertur per neceſſe, quod vtique perimit omne ius Vicarij electi, nam ſi aliàs aliquid eis ius competeret, vti mordicùs contendit ipſe Vicarius, Miniſtri eſſent in eligibiles ante completum triennium. contra formam eiuſdem Conſtitutionis, quæ,& alitèr diſponit, & contrarium præcipit, & Statutum Reformatorum infrà notatum.

Vel ſaltem ſi diceretur, quod non diſponit, aliter eſſet diſpoſitio ſuper caſu indubitabili,quod nullatenus eſt dicendum, quia lex, & Statuta non diſponunt ſuper certis, ſed ſuper dubijs, ex Vulgatis.

Nec obſtat affirmare, quod Conſtitutio Vrbani non diſponit electionem fiendam, ſed tantum poſſibilem præſupponit, quia etſi nos, abſque veri præiudicio diceremus electionem non eſſe neceſſariam ſine iniuria Prouinciæ, ſed tantum licitam, & æquam, nobis nihilominùs ſufficeret ad hoc, vt Vicarij non dicantur habere ius certum, & fixum, ſed quod ſint admouibiles, & obedientiarij, ideòque non poſſint conqueri de reuocatione, quia non habentibus ius, non fit iniuria, nec vllum infertur præiudicium, & ſæpè deciſis à Rota Rom.

Proùt nec minus releuat aſſertum Domini mei in Conſulto eiuſdem, quod videlicèt Conſtitutio Vrbani ſit derogata per Statutum de ann. 1639. & ab eodem Vrb. 8. in forma ſpecifica confirmatum, ex Regula,

quod

quod poſteriora derogant prioribus: Gratis enim, ne dicam perperàm, aſſeritur, illam eſſe derogatam per prædicta Statuta, tùm quia ad hoc, vt lex poſterior deroget priori, neceſſe eſt, quod poſterior emanet ab eodem, & indiuiduo Legislatore, vel ab habente ſupremam, & omnimodam poteſtatem, non autèm ab inferiori, vtì facit ad rem noſtram Capitulum Generale, etiàm ſi poſteà fuerit confirmatum ſpecificè: Tum etiàm quia poſteriora derogant prioribus, quando ſunt contraria, aut incompatibilia, non autem ſi ſint conformia, vtì eſt Statutum prædictum regulatum per ipſum Breue Vrbanum; ſupponens, electionem huiuſmodi eſſe in arbitrio Generalis, ad hoc, vt obſeruetur poſteà prædictum Breue: Tum etiam quia quãdo in priori adeſt derogatoria cum clauſula ſublata, & decreto irritanti, eidem non derogatur per ſolam derogationem generalem, ſed opus eſt ſpecifica, indiuidualique derogatione, vt patet, ex communi conſenſu Doctorum.

Neque multi ponderis eſt aliud ſub ſumptum Dominorum meorum, quod ſcilicèt Conſtitutio ipſa non diſponit, ſed ſupponit, quia vltrà iàm, ſatis dicta, addo, quod videtur diſponere ille, qui præſupponit, quando præſertim de ſuppoſito diſpoſitiuè fit mẽtio, vt in caſu noſtro. Et in puncto probat *Surdus dec. 114. num. 22.* Dicit enim ibi, Regulam in contrarium non procedere, quando de præſuppoſito fit mentio relatiuè ad

aliquam

aliquam Scripturam, in qua tale præſuppoſitum non legatur: Secùs ſi abſolutè, & abſq; vlla relatione, vti ad rem noſtram habemus in facto noſtro: Vltra quod etiam ſola præſuppoſitio ſufficit ad hoc, vt Miniſtri ſint eligibiles durante triennio, etiam poſt deputationem Vicarij, ſicque eorũ ius penitùs excludatur abſq; iniuria, vt dixi; nec proindè poſſit dici ſpoliatus, aut deiectus à Prælatura, vt manifeſtè explicatur ſuperiùs.

Et certè ex his facilè deducitur, quàm vana ſit illatio partis, cum fatetur, & infert, Conſtitutionem pręſupponere verè Miniſtros eligibiles, ſed in caſu, quo eligantur, antè electionem Vicarij, vel in caſu, quo Vicarius iam electus velit renunciare officio, vel demùm in caſu quo defuncto Prouinciali conſuleretur Generalis præſens in Prouincia, vel ſaltèm conſiſtens infrà tres dietas, & de illius mandato procederetur ad Capituli celebrationem, quæ quidem conuocatio nequit fieri, niſi præſente Superiore Generali, vel Viſitatore ab ipſo authoritatem habente, vt diſponunt Statuta Generalia, non autem caſu, quo deuentum eſſet ad electionem Vicarij, & eidem plenè ius quæſitum, &c. Concedere ſiquidẽ hæc abſurda DD. meis, eſt permittere, quod violetur ſenſus Cõſtitutionis legitimus, quæ loquitur indiſtinctè in quocumq; euentu, & ideò, vbi lex nõ diſtinguit, nec nos debemus diſtinguere, ex cõmuni axiomate: Tũ etiã, quia Obſeruantia, tanquã maxima interpres, & probationum Regina, eſt maximè attendenda,

denda, quia omnem dubitationem excludit, & demùm, quia offenderetur Grammaticus, ſi aliter interpretaretur Grammatica.

Miror equidem, quomodo in ſuis documentis Domini mei perſuadeant lecturã Breuis in fauorem Miniſtri à Pontefice emanati, quaſi non percipiant, quod ex ipſo ſenſu Grammaticali apparebit penitùs contrarium ſuæ intentionis: quæcumque enim fuerunt expoſita Pontifici, & citantur in Breui, ſunt vera; accepit enim Papa (vt ipſe inquit) quod mortuus fuerat Miniſter actualis, & quod eligendus in Miniſtrum erat actualis Definitor, quæ omnia patent lippis, & tonſoribus, an ſint ſubreptitia, an obreptitia. Quid ergo prætendunt in eorum fauorem ex ipſa lectura? Defectum forſitàn intentionis, & proindè circumuentum Pontificem? Videant prudentes, an ſufficiat lectura Breuis. Vide ergò, nam nec verbum audiet Lector de neceſſitate Miniſtri, Superioris, aut Prælati, ſiue de indigentia, aut carentia Rectoris, vt gratis ſomniant oppoſitores? Iudicet ergo vir prudens.

Verè confundunt, vt dixi, materiam Vicariorum, & Commiſſariorum, quàmuis eorum diſtinctio ſit ingenioſa, & ſubtilis, ideòque nos remittimus eoſdem cum erudito Lectore ad prædicta.

Ibi enim plenè diſcutitur materia Vicariorum; hoc ſolum connecto iam dictis pro maiori doctrinæ prædictæ expreſſione, quod alij ſunt Commiſſarij inter

Obſer-

Obſeruantes, alij inter Reformatos. Commiſſarij inter Obſeruantes relicti in diſceſſu Miniſtri à Prouincia, deputantur ab eodem cum conſilio Definitorij, ex præſcripto Statutorum Generalium: Inter Reformatos verò, & eodem modo inſtituuntur à Miniſtro, ſi egreditur terminos Prouinciæ vltrà octo dies per negotia vaga; & etiam alij per vota, ſiue ſchedulas ſecretas, per Decretum Sacræ Congregationis de ann. 1645. 22. Ianuarij emanatum, nemine proponente eliguuntur, vel progreſſuri ad Capitulum Generale loco Miniſtri impediti; aut Prouinciam moderaturi in abſentia Miniſtri proficiſcentis ad Comitia Generalia Ordinis; per quam diuiſionem ſatis conſtat veritas noſtræ aſſertionis, & quàm vana ſit doctrina Dominorum meorum æquiuocantium in hac materia Vicariorum, & Commiſſariorum, eo quia non viderunt iura Religionis. Nec minus ſufficit, quòd inferunt in fauorem Vicarij diſtinguendo de Commiſſarijs relictis à Miniſtro cum conſilio, & electis à Definitorio: Vtraque enim deputatio eſt Compromiſſaria à Compromittente Capitulo Generali, & ideò eiuſdē Iuris, & poteſtatis: malè ergo concludunt admouibilitatem, vel non admouibilitatem ex prædictis, vti patet ſuprà: Qua ratione ergo dicantur Prælati manuales, & obedientiarij, vide, quæ diximus

Adſibulant Præceptores mei dilectiſſimi ſuis dictis quandam ſimilitudinem inter electionem Vicaris Generalis,

neralis,& Vicarij Prouincialis, arguendo ex illa vnifor-mitatem in duratione Officij, ſic enim inquiunt; vt patet à ſimili de Vicario Gener. electo per Definitores Generales vnius duntaxat Familiæ &c. vide ſuo loco. Quæ quidem ſimilitudo, nec currit omninò, nec aliquam vim habet pro defendendo Vicario, quia, etſi verum ſit, quod Vicarius Generalis Ordinis ſolum ab anno 1621. duret vſque ad complementum ſexennij Miniſtri Generalis defuncti, his verbis præciſis in Statutis, vel Toletanis, vel Segouienſibus in §. de Vicario Ordinis, poſt medium Paragraphi: *Ille, qui maiorem partem votorum illius Crogregationis habuerit, ſit Vicarius Ordinis, habeatque in vniuerſam Religionem poteſtatis plenitudinem, ac ſi eſſet Miniſter Generalis; atque prædictus Vicarius continuabit vſque ad Capitulum Generale, in quo ſexennium complendum erat Miniſtri Generalis defuncti.*

Non tamen hoc poteſt deduci in conſequentiam parem pro electione Vicarij Prouincialis, immò potius obſtat parti opponenti: de primo namque expreſsè dicitur, quod vel à toto Ordine, vel ab vna Familia eſt Decretum in ſimili caſu: de ſecundo verò: nequaquam, immò nec verbum quidem dicitur de duratione Vicarij Prouincialis in cunctis monumentis Seraphicis, immò in arbitrio Generalis remittitur electio, & celebratio Capituli, & proindè expreſſum pro Vicario Generali, non permittit non expreſſum pro Vi-

cario

cario Prouinciali, quia ſi ordo voluiſſet durationem Vicarij Prouincialis expreſſiſſet, ſicut expreſſit de Vicarijs Generalibus; Et præſertim, quia inter vnum, & alterum plures militant diſparitates, & rationes, per quas debuit decerni prima, & non ſecunda, quarum potior eſt, quia difficilior eſt conuocatio Capituli Generalis conuocatione Capituli Prouincialis, vt patet, multùmque diſpendioſa, ac proindè congruè eſt differenda vſque ad integrum ſexennium, quod quidem in alijs ſæculis, in quibus non adhuc ſic erat diffuſa Religio, & inſtitutum Seraphicum, nõ protrahebatur tandiù electio Miniſtri Generalis in caſu mortis, vt patet, ſed hoc vide in iàm dictis. Ibi enim ſecernitur quæcunque dubij reſolutio de prædictis.

Certè vim patior in non apponendis Poſtillis poſt Dominorum meorum eruditiſſimam digreſſionem, pro inferenda neceſſaria continuatione ſui Vicarij electi à Definitorio, quia, & verè Chaos æquiuocationis oſtenderem, & contradictionem manifeſtam aperirem, quinimmò meam propulſarem modeſtiam, & debitum non obſeruarem obſequium Regulare, vide ergo, quæ prænotaui ſuprà.

Cognoſces ſiquidem, an Vicarius, vt ſic, gaudeat omnibus priuilegijs Miniſtrorum Prouincialium: & ſi gaudet: Quibus.

Poſt hæc confirmamus contra partem opponentẽ, quod celebratio Capituli Prouincialis eſt in arbitrio

Gene-

Generalis, tùm ex Statutis iam relatis, tùm ex conſue-tudine antiqua, & ferè immemorabili, totius noſtræ Religionis, tùm ex exemplis declarantibus Iura Religionis prædictæ, & tandem ex Statutis Reformatorum.

Quod verò ſubiungit de deputatione Miniſtri à Pontefice Alexandro VII. facta, quod ſcilicèt non fuerit loco celebrationis Capituli, & electionis noui Miniſtri, eoquià non fuerit pro triennio, ſed pro reſiduo temporis à morte Miniſtri; Reſpondeo, quod immò data opera hoc factũ fuis dignis de cauſis expoſitis in ſupplici libello à Patribus Oratoribus, ne protraheretur ad quadriennium gubernium partis alternatæ cõtra Breue Vrbani VIII. de alternatiua pro triennio cuiuslibet partis Prouinciæ, aliæque præiudicarentur: Supplicatumque fuit de ſubrogando item Definitore nouo loco Definitoris electi in Miniſtrum eiuſdem partis alternatæ, ex qua erat Miniſter defunctus, vt ſic omnia euaderent ſecundum æquitatem, & diſpoſitionem alternatiuam Breuis Vrbani: Cæterum conſtat, quod Breue in cęteris habet eamdem vim, immò maiorem, quàm Capitulum Prouinciale; quinimmò fuit illi ſubrogatum: nec refert, quòd ex æquipollentibus fiat, iuxtà commune Iuriſtarum adagium: Et nemo ſanæ mentis poteſt de hoc dubitare.

Teneor hìc meherculè aperire indigentiam probationum ex parte Vicarij Prouincialis, cum recurrit ad

Statuta Turonenſia pro inferenda duratione triennij in ipſo, ſimulque aliquorum oſtendere ignorantiam noſtrorum Ordinis Annalium; & ideo ſuggero Lectori, quod parui ponderis eſt allegatio Statuti Turonenſis; patet enim ex cunctis Inſtituti noſtri Monumentis, nullum vnquam fuiſſe celebratum Capitulum Generale in Turonia, per cuius Statuta, vti totius Ordinis, tenerentur ambæ Familiæ noſtræ, Ciſmontana ſcilicet, & Vltramontana, ad eorum Obſeruantiam. Anno ſi quidem 1503. citato à parte ipſa non fuit celebrata Turoniæ illa congregatio Generalis ſiue potiùs Dieta, ſed Trincis, ſiue, vt alij aiunt in Conuentu Bleſenſi, vt conſtat *ex P. Vuadingo tom.8. annal.;* & Statuta edita in illa Dieta de triennali duratione officiorum, (ſic appello illam Congregationem, quia fuit duntaxat præcipuorum Patrum totius Ordinis,) potiùs debent nuncupari mandata particularia ipſius Generalis Præſidentis, quam verè Statuta obligantia totam Religionem quicquid gratis dicant *Rodriquez, & Miranda: primus tom.2. quæſt.52. art.2. & ſecundus tom.2. quæſt. 16. art.4.* Et anno 1505. fuit celebrata altera congregatio Vltramontana in Conuentu Laualenſi Prouinciæ Turoniæ, ſed, vel non ediderunt Statuta, vel certè non poterant obligare Familiam Ciſmontanam, quia quod omnes tangit, debet ab omnibus comprobari, vt Vulgo dicitur. Qua ergo ducta ratione pars oppoſita vtitur Statutis Turonenſibus, & confugit ad per

Q vetu-

vetuſtiſſimas Conſtitutiones ſi abſque illis multoties fuit præſcriptum triennium Miniſtris Prouincialibus, & ſexennium Generalibus?

Et propterea, quod ſubiungit de celebratione anticipata Capituli Prouincialis ex doctrina communi, & præcipuè P. Sanctorij noſtri libentiùs concedo, ſed non pro ſe, nec minùs contra nos: Confirmat enim P. Sanctorius in ſuis Comment. quicquid aſſerimus de triennio proprio Miniſtri viuentis, & non proprio Capituli Prouincialis; non enim celebratur de triennio in triennium Capitulum, ſi intercedit mors, aut priuatio ipſius Miniſtri, ſicùt eligitur Miniſter de triennio in triennium, ſi propriùs loqui velimus: Æquiuocat ergo pars opponens. Et ſic eſt verum, quod poſſet conqueri aliquis Miniſter ſi anticiparetur electio alterius Miniſtri antè triennium ſibi debitum ex Decretis Pontificijs, non verò Prouincia ſi moreretur Prouincialis. Immò ſummoperè nouum Miniſtrũ peroptaret, ne diutiùs remaneret viduata, & ſine legitimo ſuo Rectore, & proprio ſponſo.

Et hæc euidenter conſtant iuxtà literalem ſenſum Statutorum Reformatorum an. 1601. 1625. & 1642. cap. 8. ſic præcisè.

1 *Venendo à morte il Cuſtode fra l'anno, il Superiore del luogo della Riforma, oue ſarà morto, ò morendo fuori della Riforma il Superiore del Conuento più vicino al luogo oue ſarà morto habbi autorità di pigliare, e riti-*

e ritinere li Sigilli, e congregare quanto prima i Padri Diſcreti Cuſtodiali, e tutti quei Padri, che iui ſono ſtati Cuſtodi ſe ſi troueranno in Prouincia, i quali inſieme col predetto Superiore locale, che li hà congregati debbano eleggere vn Commiſſario della Riforma ſino al tempo del proſſimo futuro Capitulo Cuſtodiale, quale eſſo Commiſſario conuocarà, e vi ſarà Preſidente, ſe però il Padre Viſitatore non ſi trouarà egli preſente.

2 *Non ſi celebraranno li Capitoli ſe non di tre in tre anni, eccettuato, ſe non interueniſſe rinoncia, ò morte del Cuſtode, ouero ſe non foſſe trouato inetto, & indegno à tal officio, qual giudicio ſi douerà fare dal Superiore Generale con interuento de Padri della Cuſtodia doppo d'eſſerne formato proceſſo giuridicamente &c.*

3 *Si celebraranno li Capitoli di tre in tre anni, ſe però non naſceſſe morte, ò rinoncia, ò priuatione del Miniſtro, e queſto ſi deue giuridicamente determinare dal P. Generale, e Padri della Riforma, &c.*

Quæ quidem Statuta ſunt demonſtratiua argumēta pro inferenda neceſſaria celebratione Capituli deficiente Miniſtro, & arguenda libertate Miniſtri Generalis circa hoc idem, & Patrum illius Prouinciæ, in qua defecit Miniſter.

Nam in primò Statuto, Reformatis, qui quolibet anno celebrant Capitula Cuſtodialia, in caſu mortis Cuſtodis, per quam valdè proxima poterat eſſe celebratio noui Capituli, præſcribebatur forma eligendi

Commiſſarium pro neceſſario gubernio Reformatorum; & præcipiebatur conuocatio eiuſdem Capituli, cum præſidentia ipſius Commiſſarij Prouinciæ iàm electi, vel Commiſſarij Viſitatoris, per quod Decretum non infertur vltrà præſidentiam ipſius Commiſſarij Reformationis votum actiuum in illo, ſaltem expreſsè; Cum enim ſubiungit, quod præſideat ipſe, niſi adſit Commiſſarius Viſitator non intelligit debere habere votum, ſicut non habet ex Iure noſtro communi Viſitator ipſe; & ſic patet, quod præſidentia pura non inuoluit votum electiuum.

In ſecundis verò; Quia celebratio Capituli Cuſtodialis differebatur ad triennium, & maior poterat eſſe diſtantia à morte Cuſtodis, ſiue Miniſtri, proindè aliter diſpoſitum fuit à Capitulis Generalibus, quod videlicèt celebrarentur equidem de triennio in trienniũ, ſi mori, vel renunciare contingeret, tùm Cuſtos Reformatorum antè erectionem Cuſtodiæ in Prouinciam; tùm Miniſter poſtquam fuerunt declarati Miniſtri Prouinciales Reformati. Iudicent ergò prudentes, an ſit vera prætenſio partis.

In vno Dominorum meorum Monumento præmittitur punctus ſuper quem fundant eorum intentionem, & Vicarij Prouincialis defenſionem, ſed certè non eſt punctus indiuiſibilis, ſed multiplex: ideoque eget explicatione pro adæquata reſponſione, ſed legat Lector dilectiſſimus quicquid autumauimus ſuprà.

Ibi

Ibi enim librantur eorum dicta; falſum eſt enim primò, quod Capitulum Prouinciale faciat electionem Vicarij. Vicarius enim non eſt Superior, & Prælatus præſcriptus in Regula, ſed à Pontificibus, & Iuribus, electio verò Miniſtri Prouincialis eſt à Capitulo, & proindè falſum eſt, quod ſubrogatio Vicarij ſit vera ſubrogatio in plenum Ius, & locum demortui, itaut durare deberet vſque ad tempus præſcriptum Miniſtro defuncto, vt patet ex iàm dictis.

Item falſum, quod Vicarius, quia electus à Definitorio non ſit verus Prælatus, eſt enim Prælatus, & Ordinarius, quia à lege inſtituitur pro eo tempore intermedio, quo poteſt durare, ne Prouincia remaneat ſine neceſſario gubernio, & regimine.

Reducit pars opponens ſuum punctum ad puncta diuerſa, & deficit à puncto vero, electio enim Capitularis eſt diuerſa ab electione Definitorij vti diximus.

Nec eſt verum, quod vtraque poſſit fieri ab vtroque, immò falſum aſſumptum ex prælibatis.

Cum dicit Vicarium ſolum differre nomine à Miniſtro, ſi intelligit de Vicarijs poſt Leonem X. diminutè certè loquitur, & impropriè de ſubiecta materia, vt ſæpè diximus.

Et falſum, quod Vicarius ſit confirmandus à Generali ſicut ſi eſſet electus Miniſter.

Et praxis totius Ordinis eſt talis, quod ſcilicet Vicarij quicunque, & quomodocunque electi non confir-

mantur niſi ex abundantia cordis; vel lapſu linguæ, aut calami, vt ita dicam; & ideo nedum differt nomine, ſed re à Miniſtro; & electione, & ſunt officia ſic multum diuerſa, vt ſeligitur ex dictis.

Suppoſitum, quod negant mei Domini, nos confirmamus audacter; Dicimus enim Vicarij deputationem eſſe verè prouiſionalem tribuens aliquale Ius eidem, ſed non completum, vt ſuprà.

Et cum dicimus Vicarium debere durare in officio, ſi illud *Debere* referatur ad tempus intermedium ſuæ electionis, & Capituli Prouincialis, benè debet, nec pro illo interim poteſt admoueri ſine cauſa. Si verò referatur ad complementum triennij iàm incepti, hoc negamus; Vide iàm dicta.

Differentiam arbitrij, & liberæ voluntatis Miniſtri Generalis reſpectu prorogationis, & anticipationis libentiſſimè concedimus, ſed intellectam, vt ſuprà.

Aliam verò declarationem ab ipſis adinuentã non admittimus, quia loquitur de circunferentia triennij, & eſt falſum.

Non verificatur paritas de electione Vicarij Prouincialis, ac de electione Vicarij Localis per mortem Guardiani abſolutè, ſiquidem eſt falſum eius ſuppoſitum, quod ſcilicèt mortuo Guardiano Vicarius electus à Definitorio, ſiue Præſes deputatus, debeat durare per reſiduum temporis Guardiani defuncti: In Statutis namque præſertim Reformatorum, ſic diſpo-

nitur.

nitur. Quod ſi moriatur Guardianus antè feſtum S. P. N. Franciſci eligatur nouus Guardianus, & aliquando, immò ſæpiùs, eligitur proximè antè Capitulum Prouinciale: Malè igitur fuit edoctus Dominus meus à parte cliente de ſimili materia, & iure noſtro. Immò de Iure communi Religionis ex Statuto Tolet. ann. 1633. §. pro Familia Ciſmontana. In fine: pag. 44.

Iàm ſatis poſtea prouiſum eſt confuſioni aſſertæ ſi non eligantur cum Miniſtro Cuſtos, & Definitores per Breue, *Creditum*, Vrbani, ſi bene perpendatur finis olim Miniſtri Generalis Senenſis expoſitus prædicto Pontifici; & ideo ſemper erit irrationabilis diuturna duratio Vicarij.

Non parum miror, quod pars ipſa oppoſita affirmet, nullam habendam eſſe rationem de Epiſtola P. V. Generalis directa eidem, in qua declarat, Breue *Creditum*, iàm toties citatum, nullatenus impedire electionem Vicarij; ſed Vicarium ipſum poſſe quandocunque reuocari mediante electione Miniſtri; vt patet ex ipſa in caſu noſtro relata, quæ quidem epiſtola tanquã declaratiua Statuti operatur, quod, etſi caſus eſſet dubius, omnem tamen remoueret dubitationem, & maximè cùm ipſimet Patres opponentes ei crediderint, eique parendo pluries inſtiterint pro deſtinatione Viſitatoris, & celebrando Capitulo, prout ex litteris alijs reſponſiuis eiuſdem Vicarij Generalis in facto datis. Quare ſequitur, non licere eiſdem contrauenire, nam

quòd ſemel placuit amplius diſplicere non potuit, ex Vulgatis. Nec de tanto viro eſt admittenda, vt ſæpè dixi, fides ex aduerſo extorta, tùm quia tanquam ſimplex, & extraiudicialis non meretur fidem ex vſu loquendi, & hoc maximè contra probationes claras ex iure communi, Statutis, & Cõſtitutionibus deſumptas: Tùm etiam quia obſeruantia eſt euidenter in contrarium, vt in exẽplis allatis contra ipſam: quibus acquieſcere debemus, non quia conſtituant ius, (vt gratis ſupponitur à parte) ſed vt Ius ipſum, & praxim declarent, & interpretentur, quatenus aliqualiter ſit dubium: Tùm pariter, quia deſcripti Patres in ipſa pagina atteſtationis, credo, quod nec minus ſomniauerint tale monſtrum; & præcipuè P. V. Generalis prædictus citatus à parte, quia aliter poſſet (quod abſit) argui, & conuinci de falſo ex ſupradictis reſcriptis relatis in caſu noſtro. Quibus poſt electionem Vicarij promittit tranſmittere Commiſſarium pro electione noui Miniſtri; Tùm demum quia ad electionem Vicarij deuentum eſt de ipſius ordine cum expreſſo mãdato, quod ea non impediret tranſmiſſionem prædictam Commiſſarij, & proindè cum hac expreſſa conditione, fuit electus Vicarius Prouincialis: & ideò non iuſtè prætẽdit fuiſſe ſibi quæſitum ius ex dicta electione ad certum tempus, & non ſeruare conditionem procedendi ad nouam electionem Miniſtri, per quam ceſſaſſet illicò ipſius deputatio, vide ſuprà.

Vrgent non parum Domini mei in gloſſanda particula illa, ſiue dictione, (*dummodò*) poſita in Statuto 1639.cum his verbis, *Dummodo tempus lege præſcriptum non excedatur &c.* Proindè vltrà iàm notata in noſtris prænotatis. Addijcio quæ ſequuntur, pro maiori explicatione dictorum, quod facultas anticipandi non tribuitur poſt completum triennium à die celebrati Capituli propter prædicta verba, *dummodo &c.* quia ibi non ſtant relatiuè ad verbum (*Anticipari*) ſed ſolum ad verbum (*prorogari;*) Tùm quia anticipatio non habet tempus à lege præſcriptum; tùm quia verba ſequentia non referuntur ad antecedentia vbi eſſent inter ſe contraria; ſic omnium ore celebratur. Tùm etiam quia ſi Statutum voluiſſet facultatem reſtringere Superioris, tam in anticipando, quam in prorogando; ſicut poſt verbum *Prorogari* adiunxit verbum *non excedatur*, quod propriè operatur illius reſtrictionem, ità poſt verbum *anticipari*, etiam adiunxiſſet verbum *non diminuatur*: Item dicta taxatiua non refertur niſi ad verbum *Prorogari* cum quo aptatur, non autem ad *anticipari*, cui nullatenus aptari valet, nil prorſus refragrante regula, quod determinatio reſpiciens plura determinabilia, æquanimiter omnia determinet, quia procedit, quando ea poteſt congruè omnibus aptari iuxtà commune aſſertum Doctorum; ſecus ſi cum altero ipſorum æqualiter aptari non poteſt, prout ad rem noſtram, vbi verbum,

non

non excedatur cum verbo *anticipari* in bona Grammatica nullatenus coaleſcit, vel ſaltem non ità benè, prout ſe habet poſt verbum *prorogari*, & per cōſequens non debet vtrumque pariformiter reſpicere, & æqualiter determinare ducto argumento à contrario ſenſu: quod in Iure eſt validiſſimum, ex Vulgatis. Inſuper tollitur quodcunque obiectum, quia nulla adeſt lex, quæ præſcribat tempus anticipationi, & adeſt Statutum præſcribens tempus prorogationi, vt diximus.

Proindèque verba *non excedatur tempus &c.* ad ſolam prorogationem ex clara Statuentium mente referri debent, non autem ad anticipationem, & conſequenter ſicut facultas prorogandi reſtringitur per negationem exceſſus, ità facultas anticipandi reſtringitur per negationem diminutionis, quia contrariorum eadem eſt diſciplina ex Philoſopho.

Et concludendo, ex his affirmamus, hanc conditionem nullo modo reſpicere anticipationem, ſed prorogationem ad effectum, vt arbitrium prorogandi nō intelligatur illimitatè conceſſum, ita vt poſſit excedi tempus triennij præfixum in eiſdem Statutis. Propterea licitum eſt iuſta, & vrgenti interueniente cauſa differre quidem celebrationem Capituli vſque ad finem triennij, prout aliquando fecerunt Generales pro bono Prouinciarum; Sed eſt pariformiter in libera eorum voluntate anticipare Capitulum, & illud illicò conuocare.

Tandem

Tandem multum per omnem modum Dominis meis faceſſit negotium, vti diximus in caſu, quod non fuerit narratum Papæ, electum fuiſſe Vicarium Prouincialem ad formam Statutorum, & proindè ex hoc inferunt defectum intentionis in Pontifice, & ſubreptionem, & obreptionem Breuis emanati ad fauorem partis.

Sed nullum iſtorum obſtat, nec taciturnitas præiudicat, ex iam dictis. Primò quia taciturnitas eius, quod de Iure ineſt, non vitiat gratiam, vt probat egregiè Nauarr. At de iure inerat, quod creatus fuerit Vicarius à Definitorio, cum id expreſsè habeatur in Statutis Ordinis, & in vacantijs omnium officiorum, quibus prouideri non poſſit in continenti, ſit hoc ſolitum, vt ſubſtituatur aliquis pro interim authoritate Vicaria. Secundò quia cum id ſupponatur notiſſimum Papæ, nulla erat neceſſitas amplius illum certiorandi. *cap. eum qui. de reg. Iur. in 6.* Tertiò quia taciturnitas eius, quod ſcitum non remouiſſet Papam à gratia concedenda, aut ſaltem difficiliorem non reddidiſſet, nõ vitiat gratiam ipſam. Cauſa enim motiua faciendi hanc gratiam fuit, ne eſſet deſtituta Prouincia Miniſtro Prouinciali ſuo legitimo ſponſo, & rectore: Hæc enim fuit expoſita: Quod autem eſſet electus Vicarius, non remouet à creando Miniſtro, quemadmodum non retardaſſet Capitulum, & ſic nihil ſuppoſitum falſi, nihil tacitum neceſſarij.

Item

Item ſi nullum erat quæſitum ius, vt toties diximus; & poterat Generalis ſtatim procedere ad electionem Miniſtri,quare non poterat hoc idem facere Pontifex? Ceſſet igitur exageratum præiudicium, quod prætenditur ex non notificata Papæ electione Vicarij, ad excludendum aſſertum intentionis defectum; & ſufficiat ad hoc,vt omiſſio non inducat ſubreptionem: & demum ceſſat omne dubium cum ſimus in motu proprio cum clauſulis, ex certa ſcientia, matura deliberatione, & de plenitudine poteſtatis, quæ nec vitiũ ſubreptionis, nec intentionis defectum admittant, etiam, quod tertio præiudicent. Ex plenè deductis in noſtris prænotatis ex gratia reaſſumendis ex dictis.

Demùm pro Coronide ponunt excuſationem talem, & qualem, ne dicam ridiculam, videlicèt, quod Breue Vrbanum *Creditum* fuit verè inſertũ poſt Statuta Generalia, ne volumen eorum appareret adeò paruum, aſſerentes, quod ſic teſtatus eſt P. A. Vicarius Generalis. Nos verò nec negamus, nec affirmamus Capitulum Generale hoc ordinaſſe; ſolum arguimus, & probabiliter,quod poſitum fuerit in calce Voluminis, quia eſt in ſuo robore, & obſeruantia: Sed quicquid ſit de hoc, videtur potius accuſatio, quam excuſatio, ſi pro ſolo complendo volumine expoſuerunt breue prædictum.

Concludo, quod audita inconcuſſa obſeruantia huiuſmodi Breuis, & conſuetudine Religionis,ac exẽplis,

ab

ab Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo D. Fagnano, non potuit dimoueri ab ipſis, vti legibus; ſed ſapientiſſimè adiudicauit cum alijs Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis DD. Deputatis, quòd obſeruetur Breue deputationis Miniſtri à Sanctiſſimo datum &c.

Ità dixi, & tranſcripſi Ego Frater Dionyſius à Genua Reformatorum Minor, S. T. L. Sancti Officij Conſultor, Ianuenſiſque Prouinciæ humillimus Seruus; ſub cenſura tamen Generaliſſimi Capituli Seraphici, ac meorum Superiorum iudicio: Saluo ſemper,&c. die 6. Maij 1663. In Conuentu noſtro S. Mariæ Pacis Genuæ.

Peroratio Elaboratoris.

EN Vicariorum Iura Seraphica, (ò Lector) nolens certè, ac volens veluti in biuio poſitus breui compendio ſcripſi, vel tranſcripſi; ad vberiorem profectò, & dilucidiorem adſpirabam lucubrationem; eoquia vel à nullo hactenus ipſa fuerunt adumbrata, vel leuiſſimè: Sed plures calamo adhæſerunt Remoræ non proſequendi, etſi multa indeſinenter amicorum acceſſerit inſtantia: Pro meo modulo, quæ pro nunc potui in hoc parum exculto labore præſtiti, ſtylum non affectaui per inuſitatam Phraſim, ſed planam, & facilem ſeruaui, & abſque delectu pluma congeſſit: quod modò ex intimis præcordiorum medullis peropto,

opto, hoc vnum eſt, benignos ſcilicèt excitare æmulatores, beneuolos audire competitores, & amiciſſimos ſtimulare oppoſitores pro hincindè acuendis calamis in obſequium veritatis, vt ſic nouiter, & ex profeſſo diſcutiatur hæc materia non contemnenda in Ordine Seraphico, Iuraque noſtra rationum ponderibus magis, ac magis fulciantur, & authoritate ſtabiliantur; Si ergò diſſonum aliquod interim, aut non benè cohærens reperies, percurre quæſo ſemel, atque iterũ, ne dicam pluries priùſquam Tranſcriptorem, & Elaboratorem carpias, & iudices. Indecorum eſt enim tota quæſtione, difficultate, & documentis non ſatis perſpectis redarguere; paruo hoc munuſculo vtere aliquando, quia paucis imbutus, tentabit grandia tutus, inquiebat ille. Maiora, & vtiliora expecta, ſi me ad diſputationem viuidius prouocabis, & concitabis. Viue fœlix.

Dedicator Operis ad Lectorem.

MIror equidem (non abſque animi mei perturbatione, & mærore) Authorem huius monumenti eſſe non parum contra inſperatum Prȩlum iratum, ne dicam indignatum, eo quia cum cogitabat (vt aiunt) ſuum elimare laborem, & ad Typum elaborare, iam impreſſum audiuit Antigraphum à me alias ab eodem ex importunitate obtentum, vt crebris

bris meorum vocibus Amicorum, qui Romæ hoc obnixè deſiderabant Conſultum ab eis nuper propugnatum, & Dominorũ meorum precibus ſatiſfacerem: ab illo ſiquidē die, quo ipſum obtinui, & dono accepi, iàm iudicaueram omnibus numeris abſolutum, & ab eodem in ordinem ad Prælum redactum, nihilque noueram poſt ipſius ſubſcriptionis appoſitionem, addendum, detrahendumuè; immò ſi rectè recordor (aiebat ipſe) ſolam tunc quandam deſiderari ab ipſo licentiam imprimendi, quamobrem his non obſtantibus, quod nec minus putaram, euenit mihi: iratus eſt, inquam, & indignè hoc tulit; & tamen, quod me ad Torculare promouit ipſo neſciente, & inconſulto, deliberandum, ambitio mera fuit profectò, & zelus, nedũ Ordinem, celſitudinem Paupertatis profitentem, à ſumptu liberandi, ſed & à difficultatibus, & laboribus Authorem eximendi, ac denique Patronum, & Protectorem libro eligendi D. D. Præclariſſimum Abb. noſtrum, & Dominum Maſſolam pro expreſſis ſummi ipſius affectus teneritudine, & argumento erga Ordinem, & Elaboratorem; neque forſan dubito, immò, & auſim dicere, & affirmare, ipſum Dom. adhuc eſſe in votis, & votum Authoris complere per opportunam præſentis Conſulti præſentationem in Comitijs Generalibus, & ſuis amiciſſimis Romæ Aduocatis morem gerere, ne dicam obedire: quid ergò amplius? En ergò, amantiſſimè Lector, an vel iuſtè, vel ra-

vel rationabiliter poſſit de opere ſuo publicè expoſito, & euulgato vtilitati, conqueri, vel de culpa me obiurgare, vel tandem potius, quod pro ingenuitate perfeci, magni facere, & approbare, ac in Dei Gloriam referre; nec ideò prohibet quis adhuc addere, (ſi velit) antè Operis totius Compendium iam promiſſum: Viue, & vale.

Capitulum Generale ad Vicarium Diſtichon.

Dum tibi deficiunt vires, ſeu vota Vicari
Nunc potuiſſe petas, nam tibi poſſe dabo.

Tranſcriptor.

Fr. Io: Benedictus à Portu Veneris Minorita Reformatus, Ad Librum.

Quid Liber exponis? *Ius, quidquè Vicarius indè*
prætendit Iuris: Quis tibi ductor? *Amor.*
Ecquis amor? *Rationis amor*: Cur dogmata pandis?
Cur ſoluis nexus? *Indiga corda petunt.*
Tù nubes? *Fugiunt prorsùs*· Qua luce fugantur?
Luce Minoritæ lucida cuncta manent.
Quis ferat authori laudes? quis præmia donet?
Iuris amor laudet, præmia donet amor.

Operis Colophon.

DVm promptis corde, & manu à mea meditabar operula non-nulla delere, & penitùs expungere in mei humaniſſimi Corre-ctoris, & Patris obſequium (magnæ quippè eruditionis eſt hic Vir, in noſtro Inſtituto non tertius, ni primus, cultu ornatiſſimus, & heroico preditus ingenio) dum hæc, inquam, meditabar, peruenit ad aures occultè ſatis, ac ſine vlla mea communicatione, aut conſenſu, ipſam iam Typis mandatam, immò ferè in Ianuis eſſe proximæ publicatio-nis: quamobrem rationabilibus de cauſis nõ parum ſum admiratus, ne dicam læſus, & offenſus, & præcipuè, quia abſque vltima mea manu, ſufficienti Superiorum diſpoſitione; & lima, quàm ſtudiosè quære-bam; & Correctorum deletione prodijſſet; vixq; ex importunitate ob-tinui, quod in calce, & poſt totius Operis complementum, hæc mea ſaltem adderetur excuſatio, & proteſtatio in tanti Herois obſeruantiam pro Colophone, conſtaretque omninò de Correctis clarior expoſitio, & ad minimum de expoſitorum perfecta intelligentia:

Sic itaque adhortabatur primò inter alia ſuæ paginæ Correctricis, admitti debere compromiſſa à nobis citata circa electionem Vicario-rum Generalium noſtri Ordinis, negando conſequenter P. Trey Vica-rij Gen. Caſum fuiſſe ſingularem, vti aſſerebamus in pag. 70. num. 40.

Nos verò ſumma ſubiungimus reuerentia, ipſa vtriuſque Familię compromiſſa in Iuribus iam relatis, non negaſſe circa electiones, & prouiſiones Vicariorum Gen. præſertim, immò potius admiſiſſe, illiſq; libentiſſimè ſubſcripſiſſe; duntaxàt aſſeruimus, vel ſaltem aſſerere prę-tendimus, ſingularitatem P. Trey in eiuſdem ſaluari Caſu, quia, vt Vicarius electus antè primum triennium Min. Generalis defuncti, non poterat continuare de Iure noſtro totum ſexennium complendum in ſequenti Capitulo Generali ann. 1618. celebrando, prout continua-uit; Verùm debebat Vltramontana Familia, ſiue prædictus P. Treyus conuocare PP. Vltramontanos ſuffragatores, nouumque eligere Mini-ſtrum Generalem per compromiſſa facta ab altera Familia Ciſmonta-na, qui duraret præſcripto ſexennio à Leone X. in futuro Capitulo Pentecoſtes congregando; & proindè, quia hoc non fecit, immò per fere quinquennium continuauit officium, erit dicendum, hoc feciſſe per aliquod ſpeciale Diploma Põtificium, vel aliqua alia intercedẽn-te neceſſitate; quam prorsùs adhuc ignoro, nec penetraui, neque Sta-tutum Barchinonen. ſiuè Segouienſe ann. 1618., quod videbatur hanc concedere completionem ſexennij indefinitè, & abſque conditione,

erat editum,nec minùs in vſu,immò poſteà retractatum in alijs ſequétibus, & præcipuè in diligentiſſimè compilatis hoc an.1663.c.8.§.21. ſingularis igitur fuit P.Trey Caſus hoc modo per mortem poſt annû cum dimidio P. Hierri Generalis; ideòque dum prædicta ego ſcribebam, ambigebam certè de cauſa, & legitima duratione ſic diuturna contra compromiſſa noſtræ Religionis.

Pacato paruiſſem animo profectò radicitùs delendo, quod ex corde perſuadebatur ſecundò à noſtro Ordinis Dynaſta,ſi iam fuiſſet poſſibile, aut non impreſſum opuſculum, me inconſulto; Nihilominus ſufficiat quæſò illa mea aſſertiò ſincera pag. 95. in Iure quintodecimo; *§. & tandem pro Coronide &c.* vſque ad pag.97. num. 72., & ex gratiâ ſuppleat ipſius benignitas, & humanitas, exiſtimo ſiquidem, quod forſan à noſtris PP. Reformatis non æquanimiter permitteretur, quòd pro electione noſtri Vicarij Prouin. remitterentur ad Ius commune Religionis, dum expreſſa habetur forma eiuſdem electionis in noſtris Municipalibus Conſtitutionibus, etſi non eadem præſcripta duratio, nec priuilegia ex ipſa; in noſtris etenim præcipitur noua electio Miniſtri, nouaque capituli Celebratiò, ſi decedat Miniſter,vt notauimus ſæpè: quare nequeunt ſic in omnibus cum PP. Obſeru. conuenire, cum præſertim ſit in viridi obſeruantia Breue Vrbanum de præcedentijs.

Monet tertiò Doctiſſimus Pater euellendum *§. Vnum adhuc me angit &c.* ex pagina 143. num.16. & expurgaſſem certè (vti par erat) ſed nequiui; quare ſupplex oro,& deprecor,illum terminum (*contemptus*) concedere illo in diſcurſu, quia etſi non poſſit declarari ibi formaliter talis, quia non ſic ſubſiſtit in actu, nec Superior Generalis ſuo prouidit tempore de Miniſtro ſecundum Iura, eſſet nihilominus in culpa ferè ſimili,poſſetque illa culpa multiplici deformari malitia, retardationis ſc. malitioſæ, virtualis expulſionis, ne dicam indirectę, & fictæ ſuppletionis Vocalium prohibitæ,vt ſupra, ac impediret ad ſummum, quin verus, & legitimus ſuffragator Capituli Gener. accederet ad illud, vt dictum eſt. Nec multum vrget, quod ipſe Pater ſupponit: Vicarium ſcilicet ſupplere pro illo ex dictis; nec minùs nos cogit concedere ſic abſolutè alterum illius ſuppoſitum,quia ſcilicet ipſi videatur vtilior, & liberior Vicarij electio, quàm Prominiſtri; quandòquidem eadem eſt forma eligendi vtrumque, immò ſtrictior, & liberior apud nos Reformatos, eo quia ad iſtam conueniunt etiam PP. Prouinciæ, vt in c.8. num.42. 47. & quod ſuccedit aliquando ex mera Prouidentia Dei,non eſt in ordinariam deducendam conſequentiam,

tiam, vel abſolutam neceſſitatem,ideoq;non minor erit zelus eligentiũ Prominiſtrum pro totius Ordinis grauiſſimo negotio, ac vnius Prouinciæ gubernio; Verùm, quia quæuis comparatio ex Vulgatis eſt odioſa, ideo prætereo,quæ quiſque ſibi poteſt perſuadere, vt vera ex ſe ipſo,& ex vſu Religionis, memoriæ ipſis reuocando, quod euenit tempore noſtri Seraphici Patris de F. Elia cælitus ad gubernium propoſito.

Obſeruauit quartò parui eſſe momenti, quod expoſuimus in pag. 196. nu. 52. *ex §. ſed grauis obiectio &c.* non enim admittit digreſſionem, ſiue potius declarationem illorum terminorum, *Commiſſarius, & Vicarius* veluti ſynonimi in Ordine noſtro, & opponit præſertim, quod in praxi iam vidit eorum differentiam; permiſit, ſiquidem aliquando quidam Superior Generalis doctiſſimus certè Vicarium Prouincialem ſuffragari in Capitulo Prou. quod non permiſiſſet de Commiſſario relicto à Miniſtro, & extra Prouinciam defuncto, ſi non ſucceſſiſſet in locum Vicarij, vt dicunt Statuta Ordinis; & non differrent omnino; cui non replico ex mera reuerentia, ſolum addo, quod ex Monumentis Seraphicis apparet, quod dixi; neque vltima declaratio Capituli Gen. an. 1651. circa hos terminos, antiquo noſtrorum Anteceſſorum Patrum præiudicat conceptui, & intelligentiæ, nec factum illius Generalis redditur indubitabile, nec irrefragabilis illius fuit opinio, dum nulla hucuſque effulget lux ſplendens de hoc voto ex notatis.

Humillimè fateor ceſſiſſem vltimæ perſuaſioni Benigniſſimi mei Patris, eruncando prorſus ab opere, quod adhortatur circa contradictionem, quam aſſero de P. Sanctorio noſtro, lætoque animo cederem ipſius Intelligentiæ, & Sapientiæ: & tamen ipſum Patrem Correctorem meum rogo ſaltem dignari per tranſennam librare melius dicta ipſius P. Sanct. In Commment. c. 8. Stat. 6. & c. 12. Stat. 8. de Guardiano Terræ Sanctæ; & in de pœnis c. 30. pag. 399. 400. & tandē ex Stat. Compilatis ann. præſenti 1663. c. 8. §. 31. num. 13. quandoquidem ex his omnibus iudicabit ipſe de opinione prędicti Patris, & videbit, an malè ſenſerim, ipſius ſiquidem remitto prudentiæ, & doctrinæ, an illud dictum ex pag. 400. (*opinio conſtans eſt*,) affirmet indubitatè contra opinionem contrariam, vel illam ſequatur, duratio enim biennalis non afficit Miniſtros; ſed duntaxat Vicarios, & quos ex Statutis.

Et in fine libenter ſatis ad alia alibi tacta reſponderem pro veritate, & praxi vbique (vt credo) inconcuſſa, ſed præſertim in hac noſtra

Reformata Genuen. Prouincia, circa præcedentiam Miniſtri officio functi durante tempore Capitulari, in quo abſoluitur ab officio; ſed prætereo dignis de cauſis: & quia ſapienti pauca &c. verum ne in multis ſtet pro ratione voluntas; Statutum dumtaxat referam ad litteram, prout iacet in Statutis Valliſolet. ann. 1593. & alibi in §. de Prouincialibus officio functis: ſic ergo.

Qui Miniſteriatus Officio functi ſunt &c. in eo Capitulo, in quo Officio huiuſmodi abſoluitur Miniſter Prouincialis omnes præcedat, præter Superiores, ſi quos Generales adeſſe contigerit, ac Viſitatorem, & Miniſtrum nouiter electum &c.

Et hæc notaui, immò pro Colophone adieci (vt prouerbio dicitur) quia ſumma Operi manus erat apponenda in obſequium tanti viri à me in Patrem, & Præceptorem aſſumpti; quique huic labori non bis, ſed ſæpè, & calcar, & calculum appoſuit humaniſſimum. Huius noſtrorum Iurium Archigerontis nomen, & Titulos prætereo ſilentio; & quia verè torqueretur in Corde, ſi laudaretur in Carta; & quia nec ego, quibus ſe prodit, virtutes connumerare, aut poſſum, aut debeo. Nec mireris itaque (optime Lector) ſi illius magni feci, & tantum eiuſdem Correctionem, & monitum; ipſe namque præcipuis iam dignitatum gradibus, ſtrenuè, laudabiliterque geſtis, fuit decoratus, & quod maius eſt, in rebus ſingulariter gerendis, & moderandis vniuerſo Minorum Ordini extitit conſpicuus: & proindè latrent ad nutũ Critici, ſanam doctrinam non ſuſtinentes, quia quod de Periſſologia poſſunt opponere, & cenſurare, non iuſtifico, ſolum dico, quod vis fuit neceſſitatis, & veritatis (Intelligenti pauca) non enim inanis ſum gloriæ cupidus de quibus non Authorem, ſed Cuſtodem me ſentio; & hæc ſaluo ſemper &c.

ANACEPHALAEOSIS
Primi Conſulti.

IN §. 1. Narrantur breuiter factum, & electio Vicarij Prouincialis legitima, & per Superiorem Generalem confirmata. pag. 17
2. Speratur manutentio in quaſi poſſeſſione Officij, quia per deputationem Miniſtri fuit ab ea iniuſtè deiectus. 18
3. Per prædictas electionem, & confirmationem prætenditur acquiſitum Ius, vſq; ad finem triennij mortui Miniſtri. 18
4. Clauſulæ etiam prægnantiſſimæ motus proprij non ſufficiunt ad tollendum hoc Ius ex regula Cancellariæ. 18
5. Proponitur defectus intentionis Papæ ex mala partis relatione, & tacita veritate. 19
6. Differentia Vicarij electi à Definitorio, & Commiſſarij, cum conſilio eiuſdem, & durationis eorundem. 19
7. Alia infertur differentia eorum, quia primus ſuccedit in omnibus Miniſtro defuncto, ſecundus verò nequaquam. 22
8. Arguitur à ſimili de Vicario Generali electo in vacantia Generalis, ac Vicario Prouinciali à Definitorio electo, & duratione eorum. 20
9. Supponitur Vicarij electio à Definitorio, pro complemento triennij Miniſtri vacantis, multis rationibus, & Iuribus. 23
10. Non conceditur, Pontificis deputationem noui Miniſtri eſſe loco Capituli, quia fuit pro reſiduo temporis defuncti. 23
11. Prætenditur non poſſe eligi Miniſtrum, niſi completo triennio à Vicario per conſuetudinem atteſtatam Patrum. 24
12. Dicitur reuocatum eſſe Breue Vrbanum, cum non diſponat de electione Miniſtri, ſed tantùm declarat eam. 25
13. Tractatur de recurſu habendo ad Statuta Generalia in dubijs. 26
14. Non admittitur; Caſum Corſicæ eſſe ſimilem, ex atteſtatione Superiorum Generalium. 27
15. Narratur quid ridiculum de Breui Vrbano appoſito in fine Statutorum Generalium ann. 1658. 28

Secundi Conſulti.

IN § 1. Prætenditur idem, quod in primo Conſulto de Iure quæſito, per electionem, & confirmationem. pag. 28

2. Probatur ex Statutis tempus eſſe præſcriptum triennium omnium Officialium Ordinis, poſt electionem Vicarij, complendum ab ipſo antè Capitulum. 29

3. Dicitur, defectum intentionis in Pontifice eſſe duplicem, videlicèt per electionem Vicarij non manifeſtatam Papæ, & quia Prouincia egebat Capite. 30

4. Non conceditur ſuppoſitum partis, quod ſcilicèt non fuerit ius quæſitum, & quod prorogatio, & anticipatio eſſent in arbitrio Generalis. 32

5. Confirmatur dictum, circa arbitrium Generalis, & malè intelligitur Pater Sanctorius de triennio complendo antè Capitulum. 32 33

6. Explicatur, clauſulam (*dummodò*) referendam eſſe vtrique termino, anticipationi, ſcilicèt, & prorogationi. 33

7. Negatur, deputationem Miniſtri Pontificij fuiſſe loco Capituli, quia non per triennium, ſed pro reſiduo. 33 34

8. Arguitur ineuitabilis ſubreptio, quia electio Miniſtri debebat eſſe ſecundum alternatiuam, & ſic alterius partis. 34

9. Falsò ſupponitur, electionem Vicarij eſſe à Capitulo, æquiuocando de alijs Vicarijs non confirmatis, & proindè non eſſe amouibilem. 34 35

10. Contenditur probare, non poſſe celebrari Capitulum, ſtante electione Vicarij ex Statutis, & epiſtola Vicarij Generalis, ſed confusè. 35

11. Prætenditur, quod ſuprà in alio Conſulto. Breue ſcilicèt Vrbanum non diſponere neceſſariò de electione Miniſtri; ſed declarare triennium Officialium. 36

12. Probatur, Statuta antiqua, & Breue ipſum Vrbani reuocari per Statuta an. 1639. & proindè non poſſe eligi Miniſtrum antè triennium, authoritate Patrum Ordinis. 37

13. Negatur, Pontificem potuiſſe cogitare de electione Vicarij poſt mortem Miniſtri; & ideo circumuentum, cum præiudicio tertij. 37

14. Negatur vltimò idem, quod ſuprà. Caſum ſcilicèt Corſicæ confirmare noſtrum. 38

Tertij Conſulti.

IN §. 1. Diſtinguitur, an electio Vicarij importet ſolam prouiſionem arbitrariam Gen. vel ſubrogationem in locum demortui. 38

2. Quia,

2. Quia, ſi iuxtà primam partem, conceditur poſſe celebrari Capitulum, cùm Vicarius non ſit Prælatus; Si iuxtà ſecundam, conſtat de ſubreptione, & nullitate. 39
3. Aſſignatur duplex ſpecies Vicariorum: Prima, de Vicarijs ſubſtitutis à viuente Miniſtro, quos negatur, eſſe Prælatos, &c. 40
4. Secunda de Vicario electo per mortem Miniſtri, quem affirmatur, eſſe Prælatum Prouinciæ: Et confirmantur ipſę ſpecies Vicariorum per Ius commune. 40 41
5. Imaginatur, Vicarios ſecundæ ſpeciei indigere confirmatione, & non primos; gaudereque de omnibus priuilegijs Miniſtrorum. 41
6. Falsò creditur huiuſmodi Vicarios ſecundos differre ſolo nomine à Miniſtro Prouinciali, quia eliguntur à Capitulo. 41
7. Confirmatur intentum à ſimili de Vicario Generali, vt ſuprà in primo Conſulto ſed meliùs hìc, & falsò de Præſide locali. 42
8. Perſiſtitur in ſuo dicto, quòad durationem completam triennij, & quòad arbitrium Generalis. 42
9. Adhuc exponitur clauſula *Arbitrium Generalis*, & etiam interuallum triennij, & quomodò computandum. 43
10. Malè exponitur Breue Vrbanum, quia non ſic loqueretur de Officialibus Prouinciæ: Vrbanus ſiquidem optimè diſponit de nouo Miniſtro, & Officialibus. 44
11. Aſſeritur, Statuta Generalia ann. 1639. derogare ipſi Vrbano diplomati, quia ſunt poſteriora; & perperàm ipſum declaratur. 45
12. Declaratur item, quid ſit diſponere, vel præſupponere in dicto Breui, reſpectu neceſſitatis durationis Vicarij: 45
13. Nulla habetur ratio de epiſtola Vicarij Generalis interpretante Statutum, & Vrbanicum Breue, vt in caſu. 45

Quarti Conſulti.

IN §. 1. Defenditur neceſſaria Vicarij duratio, ſiue ſit amouibilis, ſiuè non ex diſpoſitione Statutorum. pag. 45
2. Dicitur, quod arbitrium Generalis nòn impedit prorogationem, nec anticipationem, quia triennium præſcribitur, & reſtringitur. 46
3. Exponitur Clauſula *(dummodò)* vt ſuprà in Conſulto 2. 47
4. Explicatur epiſtola Vicarij Generalis, ſed ridiculè certè &c. 47
5. Perſiſtitur, electionem Miniſtri Apoſtolici nòn legitimam, quia

quia non fuit expoſita electio Vicarij,& Ius eius quæſitum. 48
6. Aſſeritur gratiam Miniſtri corruere ex non derogata Regula Cancellariæ de Iure quæſito non tollendo. 48 49
7. Eiuſdem Conſulti. Refertur ad litteram nonnullorum ficta atteſtatio, & exponitur, pro confirmandis Conſultis, & prætenſione Partis; Quæ in duobus punctis conſiſtit: Primus eſt, quod Vicarius debeat durare vſque ad Capitulum Prouinciale. Secundus, quod eſt inueterata conſuetudo in Ordine, quod Vicarius terminet triennium Min. defuncti. 50

Iura Religionis, & notabilia.

In Iure primo.

Not. 1. FOrmam eligendi Miniſtrum Prouincialem ex Clem. V. & modum confirmationis. pag. 53
2. Authoritatem Vicarij Generalis, mortuo Generali, & durationem ipſius. 53

In Iure ſecundo.

Not. 3. Decretum nouæ electionis Miniſtri Generalis, mortuo anteceſſore ante feſtum S. Michaelis. 54
4. Quis ſit Præſidens futuri Capituli Generalis, & quæ eius authoritas in illo. 55
5. Quomodo practicatur forma Clementis V. de electione Prouincialis, & de deuolutione ad Generalem, pro interim prouidendo de Vicario Prouinciali. 55
6. Quod ſi electus Miniſter moritur adhuc congregato Capitulo, & non abſoluto, debet eligi nouus Miniſter, ſiue ſecundus. 55
7. Cuſtodem Prouinciæ debere quamcitius eligere nouum Miniſtrum, ſi decedat Vicarius. 55
8. Prouiſionem de Vicario in abſentia Miniſtri electi, donec veniat. 55

In Iure tertio.

Not. 9. Prouiſionem de Vicario Generali ægrotante grauiter ipſo Miniſtro Generali ad mortem. 56
10. Formam eligendi Vicarium Generalem, ſi Miniſter decedat ante feſtum S. Michaelis. 56
11. Hoc idem diſpoſitum, ſi decedat Miniſter Prou. 56

In

In Iure quarto.

Not.12. Quod poſt Leonem X. tres Miniſtri Generales expleuerunt primum ſexenniuum primi Miniſtri Generalis. 58
13. Formam electionis Vicarij Generalis in vacantijs Miniſtrorum Generalium. 59
14. Obligationem Vicarij Generalis de quamprimùm conuocando Capitulo Generali pro electione noui Gen. 59
15. Munus Miniſtri Prouincialis circa conuocationem Definitorij Generalis pro eligendo Vicario Generali. 59
16. Quod conceditur votum ipſi Miniſtro, quia non eſt elector Regulæ pro electione Vicarij Generalis. 59

In Iure quinto.

Not.17. Conceſſionem voti Guardiano, apud quem moritur Miniſter Prouin., pro electione Commiſſarij, ſiuè Vicarij. 60
18. Quomodo iſti termini *Commiſſarius, & Vicarius*, videantur eſſe ſynonimi in Statutis Ordinis noſtri. 60

In Iure ſexto.

Not.19. Renouationem celeris electionis Vicarij Generalis in ſupplementum gubernij neceſſarij in Ordine. 61
20. Ordinationem item celerem prouiſionis Min. Gen. conſiderata difficultate conuocationis Capituli Generalis. 62
21. Quod differri non debeat diù electio Miniſtri Prouincialis in vacantijs, ne Prouincia diù remaneat ſine ſuo proprio Rectore. 62
22. Formas obſeruandas diuerſas electionum Miniſtrorum, & Vicariorum. 62
23. Electionem Miniſtri eſſe à Capitulo, Vicarij verò à Definitorio, à Pontefice, & ab Ordine inuentam in ſubſidium. 62 63
24. Quod Miniſtri nõ ſunt Vocales in electione Vicarij, quia eſt prouiſio extra Regulam. 63
25. Confirmationem non eſſe ſimpliciter neceſſariam in electione Vicarij ſicut Miniſtri; Et de hoc rationem. 63

In Iure ſeptimo.

Not.26. Debitum Vicarij Generalis electi antè quadriennium ſexennij defuncti Miniſtri. 65

27. Quod

27. Quod hæc prouiſio Gen. differatur ſucceſſiuè à prima electione Leonis X. quia ſemper magis dilatatur Religio. 65
28. Quod in defectu Miniſtri Prouincialis habeat votum in electione Vicarij Generalis, Commiſſarius, ſiuè Vicarius Prouinciæ. 65
29. Obligantur electores petere conſenſum Superioris Generalis pro habendis electionibus Vicariorum. 65
30. Quod duratio Miniſtri debet eſſe triennalis abſq; annuali confirmatione, quod non eſt de Vicarij duratione. 65

In Iure octauo.

Not. Supradicta confirmantur, nec indigent poſtilla.

In Iure nono.

Not. 31. Quod Vicarius Prouincialis concurrit ad electionem Vicarij Generalis, ſi Miniſtro careat Prouincia, in qua mortuus eſt Generalis. 67
32. Confirmationem Vicarij Generalis non eſſe neceſſariã, ſicut illa Miniſtri Gen., vtpotè electi à toto Ordine. 68
33. Reſtrictionem termini vacantiæ antè trienniũ ſui ſexennij pro celebrando nouo Miniſtro Generali. 68
34. Authoritatem ipſius Vicarij Generalis, & durationem reſiduam temporis, ſi eſt electus poſt triennium Gen. 68
35. Quod, non ſic diſponat de Vicario Prouinciali, ſed penitus diuerſo modo. 68
36. Quod regat Prouinciam Præſidens, ſi dilatatur prouiſio Vicarij, & quod non ſic, ſi ſtatim eligitur. 68

In Iure decimo.

Not. 37. Plenitudinem poteſtatis Vicarij Generalis circa neceſſarium regimen ſubditorum. 69
38. Determinationem continuationis ſui Officij, vſque ad completum ſexennium contra Statuta priora. 69
39. Solutionem nodi Gordij circa durationem hanc, quia vel eſt reuocata, vel non ſubſiſtit. 69
40. Dubium ſatis curioſum de duratione moderna Vicarij Generalis, quaſi contraria Statutis Ordinis. 70

In Iure vndecimo.

Not. 41. Finem Miniſtri Generalis Senenſis in procurando Breue

Vrba-

Vrbanum circa electionem Miniſtri in vacantijs, & Breue ipſum. 73
42. Exempla de exequutione prædicti Breuis in Prouincijs Genuen. & Corſicæ. 77
43. Idemmet Breue ordinans perennem ſui obſeruantiam in Religione noſtra. 78
44. Ac triennium Miniſtri recenter electi, vti proprium, & debitum ipſis Miniſtris Prouincialibus. 78
45. Suppoſitionem certam electionis Miniſtri Prouincialis, non obſtante prouiſione Vicarij iuxtà Statuta. 78
46. Quod fruſtraretur Breue, ſi Min. Gen. non prouideret de Miniſtro nouo in Prouincijs, etiamſi ſit electus Vic. 79
47. Superiorem Generalem non debere ſine grauiſſima cauſa dilatare diù electionem Miniſtri, ne grauetur Prouincia. 79 80

In Iure duodecimo.

Not. 48. Non eſſe pro Reformatis declaratio Commiſſarij in Vicarium, mortuo Miniſtro extrà Prouinciam. 81
49. Statutum Romanum *1639.* circa electionem Vicarij eſſe obſeruantia Breuis Vrbani, & incertitudo durationis. 81
50. Quod ex eodem Statuto habetur arbitrium Generalis circa durationem tantam, vel quantam Vic. Prouincialis. 81
51. Quod ideo conceſſum arbitrium Generali, quia non bene eſt aliquando prouiſa Prouincia, ſicut per Capitulum Prouinciale. 82
52. Non eſſe de mente Sanctiſſimi, nec minus Ordinis, Prouinciã diù viuere ſine ſuo proprio Paſtore, & Prælato. 82
53. Quod in Statutis modernis ann. 1651. exponitur clauſula (*dummodo*) Statuti ann. *1639.* 82
54. Commiſſarium relictũ à Min. poſt eiuſdem mortẽ, etiamſi declaretur Vicar. non debere durare vſq; ad trienniũ. 83
55. Quid mirum de quadam reſponſione habita circa hoc à Superiore Generali. 83 84

In Iure tertiodecimo.

Not. 56. Confirmationem Statuti de Vicarij Generalis duratione, vel antè, vel poſt triennium contra Segouienſe. 85
57. Quod Statuta non decernunt de duratione Vicarij Prouincialis, ſicùt de Vicarij Generalis, & quare. 85 86

In

In Iure quartodecimo.

Not. 58. Quod electio Miniſtri Capitulariter facienda, quia difficilior, ideò commoditati remittitur, Vicarij verò, quia à Compromiſſarijs, ideo ſubita. 87

59. Vicarius Generalis ſecundus, electus poſt primum defunctum non debere dici Vicarius Vicarij, ſed Miniſtri Generalis. 88

60. Quando vera, & quando falſa ſit iſta Propoſitio, Vicarius Prouincialis eſt Prouincialis: Ideo potiùs Vicarius Prouinciæ debere dici. 88

61. Refutationem ſententiæ P. Sanctorij circa hanc materiam, & probationem paritatis ab eo negatæ. 90

62. Quod Capitula Prouincialia ne dum Statuta abſolutè poſſint condere, ſed etiam circa hanc electionem Vicarij diſponere. 90

63. Confirmationem Voti Præſidentis in electione Vicarij etiamſi non ſit de Definitorio. 94

64. Quod Præſidentia eſt quid diuerſum à Voto, vt patet in Commiſſario Generali, & Viſitatore. 94

65. Quod Præſidentia nullam inuoluit authoritatem extrà ſpheram electionis. 94

66. Quod præcipitur ſubita electio Vicarij Prouincialis, quia Præſidens non eſt Superior Fratrum. 94 95

In Iure quintodecimo.

Not. 67. Quod ex Reformatorum Iure diminuta eſt materia Vicarij, niſi recurratur ad Ius commune Religionis. 95 96

68. Quod ex eodem non diſponitur, nec de præcedentia, duratione, nec aliquo priuilegio. 95

69. Quod duratio biennalis Vicarij eſt potiùs pro Obſeruantibus, quàm Reformatis. 96

70. Quod Superior electus à Prouincia videatur dignior, quã ſi à ſolo Definitorio eligeretur, vt Vicarius. 96

71. Quod hìc negatur, Commiſſarium relictum à Miniſtro in abſentia poſſe durare per biennium, ac ſi eſſet Vicarius. 96 97

Et notabile vltimum eſt Concluſio ex omni æuo inconcuſſæ conſuetudinis celebrandi Capitula quàmprimùm in vacantijs. 97

Gnomo-

Gnomones dicendorum.

Gnom. 1. DVplex ſpecies Vicariorum in Ordine; prima, In vacantijs Prælatorum; ſecunda, Tempore primæ Obſeruantiæ loco Miniſtrorum.

2. Vicarij Obſeruantiæ ex declaratione Pontificis ſolo differebant nomine à Miniſtris, & erant Superiores Regulæ. 99

3. Deſcribũtur primi Vic. Gen. Obſeruantiæ, & forma electionis eorundem ad certum tẽpus. 99. 100. 101. 102. 103

4. Prouiſiones Commiſſariorum in vacantijs Vicariorum quàmprimùm faciendæ. 104

5. Vicarij primæ ſpeciei, per mortem Miniſtrorum differunt ab ipſis, & nomine, & re. 105

6. Differunt hi omnes, quia primi eliguntur per Compromiſſum, & ſine confirmatione; ſecundi verò aliter à tota Prouincia. 106

7. Prima ſpecies Vicariorum fuit in vſu apud PP. Capucinos, & nos Reformatos, quia & Vicarij, & Custodes. 106. 107

8. Vicarij ſecundi erant triennales, ſicut modò Miniſtri, & ideo virtualiter perpetui, prout ex Regula. 107

9. Replicat differentiam electionum eorundem ex diuerſitate electorum. 107

10. Primi Vicarij non indigent confirmatione; Secundi verò ſic; Confirmabantur ſiquidem à Miniſtris. 108

11. In quacunque vacantia ſemper fuit curæ in noſtro Ordine prouidere de Superiore in ſupplementum demortuorum. 108

12. Suffecti in locum Vicarij ſecundæ ſpeciei dicebantur Commiſſarij: primæ verò, Vicarij, vt modò fit in Vacantia Miniſtri. 109

13. Concluditur euidentia noſtri Caſus de noua electione Min. per mortem anteceſſoris non obſtante Vic. 109. 110

Libamina Iurium Communium.

Libam. 1. EThimologia Vicarij qualis, tàm in Iure Canonico, quàm Ciuili. 110

2. Deſcriptio Vicarij in Ordine noſtro ex P. Miranda, & eius

eius Iuriſdictio ordinaria. 111
3. Quis ſit Prælatus ordinarius, quis ſit delegatus. 111
4. Qualiter intelligatur, quòd Vicarij ſint ſuffecti in totam ſui principalis authoritatem. 111
5. Vicarius coruſcat radijs Epiſcopalibus de iure Canonico, & qualiter. 112
6. Vicariatus, vt ſic, de iure Communi, an ſit per ſe dignitas, vel officium duntaxat. 112
7. Officium, vt ſic, præciſè de ſui natura non eſt perpetuum, ſed temporale. 112
8. Dignitas non moritur, nec mori poteſt, & ideo perpetua, & quæ ſint tales. 113
9. Quomodò verificetur in Iure, Vicarium debere honorari, vt ipſe principalis. 113
10. Vicarijs quomodò verè competat Iuriſdictio, & qualiter Miniſtris. 114
11 Vicariorum alij ſunt Generales, Prouinciales alij, quidam Prælati, non Prælati alij. 114
12. Philoſophandum pariter de Commiſſarijs in Ordine noſtro, quia ſunt ſynonimi inter nos Minoritas. 114
13. Statutum Romanum an. 1651. quid decreuerit pro euitanda æquiuocatione. 114
14. Prælati in abſentia Miniſtrorum instituti, ſunt appellandi Commiſſarij, non Vicarij. 115
15. Differentia Vicariorum Generalium, & Prouincialium ex Verbis Statuti, ſatis ad rem noſtram. 115
16. Duplex ſenſus huius termini *Vicarius*, & qualis. 116
17. Duplex electio in Ordine noſtro: Electiua, vna; non electiua, altera; & quæ differentia. 116
18. Cõfirmatio debetur in electione electiua; nõ ſic in altera. 116
19. Prouiſio duplex, ſolemnis, & non ſolemnis; & eorum differentia. 116. 117
20. Prouincialis cum Definitorio eligunt, & confirmant; nec opus eſt alia confirmatione; & quare. 118
21. Doctores quomodo intelligant electiones poſſe fieri per Compromiſſum. 118
22. Quid ſit actus confirmationis, & quis poſſit confirmare; & an ſimplex Præſes electionis Vicarij. 118. 119.
23. Prælaturæ, vel conſiderantur, vt perpetuæ, vel quatenus amouibiles, & quæ ſint. 119
24. Quo-

24. Quomodò ſint amouibiles, vel non. 119. 120
25. Non admittitur P. Sanctorius circa perpetuitatem Prælaturę ab ipſo negatam. 120
26. A quo ſint amouibiles Prælaturæ ſine cauſa. 120. 121
27. Qua ratione dicatur verè viduata Prouincia, cum eſt ſine Miniſtro. 121
28. Inter Prælatum, & Prouinciam eſt ferè verum coniugium, & quando contrahatur, & per quid. 121
29. Ad quem ſpectet de Iure electio Generalium, & Prouincialium Superiorum in Ordine noſtro. 122
30. Prælati electi à tota Communitate ſunt Ordinarij in Iuriſditione, non ſic verè alij, vt primi. 122
31. Regula cuiuſcunque Religionis eſt Ius commune in ipſa, & electi ſecundum illud ius ſunt per ſe Prelati, non ſic alij. 123
32. Statuta, prout ſunt correctoria Iuris communis, debent confirmari à Papa, aliter ſunt nulla. 123
33. Confirmatur, Vicarios non indigere confirmatione, vt Miniſter ex Clem. V. 124
34. Dùm expectatur confirmatio Miniſtri, deputetur Vicarius, vel Commiſſarius, qui gubernet, ſicut antiquitus antè Leonem X. 124
35. Electio dat Ius ad rem, & confirmatio Ius in re; & ſic Ius quæſitum, abſolutum, & perfectum. 125
36. Hoc idem obſeruatur inter Capucinos, & obſeruabatur aliàs inter nos Reformatos. 125
37. Ius Vicariorum, etſi dicatur Ius in re, & ad rem, nō tamen abſolutum, & perfectum, ſed pro illo interim Capituli futuri. 126
38. Subreptio, & obreptio quid ſint, & an differant re, vel ſolo nomine. 126
39. Subreptio duplex, vna ex parte impetrantis; ex re ipſa, altera; & quam ex iſtis tollat motus proprius. 127
40. Ius quæſitum quotuplex; & an Miniſteriatus, & Vicariatus ſint eiuſdem iuris quæſiti, & vniuocè. 128
41. Ius quæſitum ſic dicitur, ad differentiam aliorum Iurium, quod Papa non tollit, niſi abrogata regula Cancellariæ. 129
42. Nec eidem derogatur neceſſariò, niſi in certis caſibus. 129
43. Papa habet in ſcrinio pectoris omne Ius, & ſic Ius Vicariatus, & Miniſtri. 129. 130
44. Quando quis dicatur verè priuatus ſuo Iure, ſiuè ſuo officio ſpoliatus. 130

Appen-

Append. 1. Commiſſiones, ſiuè delegationes regulandæ ſunt per litteras Ccmmiſſionales, nec extenduntur ad ſpecialia non incluſa. 131
2. Fines mandati ſunt exactè ſeruandi, & qualitates. 132
3. Quis ſit propriè Procurator, ſiuè delegatus, & quæ differentia inter Procuratorem, & Nuncium. 132
4. Quid contineat Pontificium Decretum in caſu poſitum, & quod delegatus non poterat vltrà illud. 133
5. An delegatus in Prouincia poſſit publicare litteras circulares, prout facit Superior Ordinarius. 135
6. Confirmantur prædicta de Procuratore Generali à ſimili noſtri Ordinis in Curia Romana. 135. 136
7. Procurator vt ſic nequit nomine Prouinciæ ſine ſpeciali mādato ipſius obtinere diploma. 137. 138
8. Examinatur apocriphum ſcriptum de conſuetudine continua Religionis circa durationem Vicarij. 138. 139
9. Bipartitur eadem atteſtatio in duas partes; prima, admittitur conditionatè; ſecunda, negatar abſolutè. 138. 140
10. Verbum (*debet*) vel refertur ad tempus Capituli intermedium, vel complementum triennij defuncti Miniſtri. 140
11. Defendere Ius priuatum Vicarij, vt in casu, eſt offendere iura Religionis, Superioris, & Prouinciæ. 141
12. Caſus poſſibilis contra Iura Prouinciæ, ſi longa permittatur duratio Vicarij. 141. 142
13. Vic. Prou. non habent votum in electione Min. Gener. à Regula, ſed conceſſum eſt ſolum Miniſtris, & Cuſtodibus. 142
14. Superiores Generales non valent retardare in Prouincijs electionem Miniſtri in vacantijs. 143
15. Arbirrium Generalis de celebrando Capitulo Prouinciali poſt electionem Vicarij eſt regulandum à Iure. 143
16. Si retardet electionem prædictam ſine vrgentiſſima cauſa, poteſt dubitari de electione Canonica Generalis. 143
17. Vno electore neglecto, ſiuè contempto poteſt impugnari electio Miniſtri Generalis. 143
18. Superior Generalis quocunque prætextu nequit priuare Prouinciam de ſuo Miniſtro pro biennio complendo Vic. 144. 145
19. Vicarius, vt ſic, non poteſt mittere Prouicarium ad Capitulum Generale, quia in illo non habet votum. 145

20. Eſſet

20. Eſſet quaſi ſupplere vocem Miniſtri defuncti, ſi loco illius ſuffragetur in illis. 145
21. Grauaretur Prouincia, & Ordo ipſe,ſi Superior Generalis ſine expreſſa cauſa non præciperet electionem Miniſtri. 146
22. Non poſſet Vicarius electus à ſolo Definitorio eſſe ſic gratus omnibus, ſicùt Miniſter electus à Prouincia. 146
23. Conſuetudo explicatur quoad quid nominis, & duplex aſſignatur. 147
24. Deſcribuntur actus ipſius ſatis diffusè, pro vera intelligentia legitimæ conſuetudinis. 147
25. Exempla contra aſſertam conſuetudinem Ordinis pro defendenda duratione Vicarij. 155. 156. 157. 158.

Placita de Voto Vicarij Prouinciæ.

Placit. 1. SOli Miniſtri, & Cuſtodes ſunt legitimi ſuffragatores Regulæ in electione Miniſtri Generalis. 160
2. Alij fuerunt deſignati Vocales in illis, varijs legibus, & Pontificibus. 161
3. Referuntur multa Capitula Generalia decernentia ſolos Miniſtros, & Cuſtodes eſſe veros electores. 161
4. Nullum inuenitur Statutum cōcedens Votum Vicarijs in toto Ordine, & Monumentis noſtris. 162
5. Permittitur tamen habere votum aliquando in electione Vicarij Generalis, vt dictum eſt aliàs. 162
6. Proponitur obiectio hoc ſylogiſmo: ſicut ſe habet Vicarius Generalis ad Religionem, ità Vicar. Prouincialis in Prouincia, ſed primus habet, ergo & ſecundus. 162
7. Affertur alia ſimilis; ſicut ſe habet Vicarius ad Prouinciā ſic Localis ad Conuentum, ſed primus per vos habet, ergo & ſecundus. 162. 163
8. Immò aliam ſubinfert argumentationem; ſicut ſe habet Vicarius ad Capitulum Generale, ità Vicarius Prouincialis ad Prouinciale, &c. 163
9. A ſufficienti diuiſione nullatenus apparet Vicarios habere votum in Capitulis. 163
10. A plena Vicarij Iuriſdictione, vt Miniſtri, non infertur Votum ſicut in Miniſtro. 164
11. Nec minus ratio voti eſt in Vicarijs, eò quia ſit Prælatus, nam hoc idem eſſet de Vicario Locali. 164

S 12. Appa-

12. Apparet quo iure electores Capitulorum habeant votum in electionibus. 164
13. Per Statuta Ordinis 1600. & 1663. non admittitur conſuetudo de Voto Vicarij, cum deſcribuntur præciſè electores Capitulorum, & frequenter. 165
14. Hoc idem arguitur ex deſcriptione accuratiſſima electorum, & ex ſeſſione eorum in Capitulis, tùm Generalibus, tùm Prouincialibus, & præcipuè hoc an. 1663. §. 10. 35. 53. 166
15. Capitula non poſſunt admittere ad electiones, nec abſolutè, nec conditionatè eos, qui non habent votum à iure. 167
16. Poſſunt enim in aliquo caſu in adiutorium, & conſultationem, ſed non ad electionem. 167. 168
17. Poſſet enim annullari electio admittendo quemcunque contrà *c. quia pp. de elect.* 168
18. Non eſt credendum Doctori aſſerenti de conſuetudine, cum ſit quid facti. 168. 169
19. Quando habeat locum regula, quod vtile per inutile non viciatur. 169
20. Conſuetudo contra Decretum irritans non ligat, *vt in c. quia pp. de elect.* 170
21. Lex enim irritans facit perſonam incapacem, nec conſuetudo illam tollit, & ſi tollat, quandò? 170. 171
22. In electionibus nequimus addere nec vnum votum non legitimum, vti eſſet, ſi admitteretur Min. in electio Vic. Gen: 172
23. Allegantur plura axiomata, & principia hoc confirmantia. 172
24. Referuntur plura Statuta hoc item approbantia, & quinam ſint Vocales Vicariorum Generalium. 173
25. In electione Commiſſarij Gener. Familiæ admittuntur Miniſtri. & Cuſtodes non ex Regula, ſed ex Leone X. 173
26. Clemens VIII. & Greg. XV. permittunt votum Miniſtris in electione ſucceſſoris. 174
27. Priuilegium ex certa cauſa conceſſum, & qualitate, ipſis ceſſantibus, ceſſat priuilegium. 174
28. Fundamentum cōceſſionis Voti in Miniſtris, vndè exortum. 175
29. Neceſſe eſt rationem concedendi votum Vicarijs exprimi, ſicut Miniſtris. 176
30. Miniſter de Iure non eſt Vocalis in electione ſui ſucceſſoris abſoluto triennio ex Statutis. 176
31. Modus ſupplendi votum in Capitulis antiquis, & conceſſio voti Miniſtris Generalibus pro electione ſucceſſoris. 177

32. Reſpon-

32. Reſpondetur Superiori inſtantiæ, quia ſi eſt concedenda prima de Vicario Generali, debet concedi ſecunda de Vicario Locali. 178
33. Concedit equidem Vicarijs plenam iuriſdictionem, ſed non votum, quia ſunt diuerſæ res. 178
34. Negat ergo votum Vicarijs Prouinciali, & Locali, quia eadem ratio vtriuſque. 179
35. Refertur primum Statutum de voto Vicarij Generalis in electione Miniſtri, & Commiſſariorum Generalium hoc noſtro æuo. 179
36. Non nominantur Vicarij Generales pro eligendo Vicario Generali, ideoque non poſſunt legitimè concurrere, quia electio Compromiſſaria. 180
37. Non valet argumentum à maiori ad minus in Vicarijs, quia ſi ſuffragantur in electione Vicarij Generalis, ergo & Miniſtri Prouincialis. 181
38. Arguit ad propoſitum, quod Vicarius Localis habuit à Capitulo Generali Ord. 56. aliquando votum in Capitulo Prouinciali. 181. 182
39. Conceſſum ad tempus, poſt illud non inuenitur conceſſum, & alia axiomata. 182. 183
40. In priuilegijs conceſſis dignitati non fit extenſio; & ſic de voto à Clem. VIII. & Greg. XV. Miniſtris. 183. 184
41. Statuta ſunt interpretanda ad litteram, prout iacent. 184
42. Priuilegia quando poſſint extendi; ſi ſint extendenda. 185
43. Quod non concedit nec Regula, nec Pontifex, non eſt permittendum, nec introducendum. 195
44. Vbi reperitur Ius ſcriptum, nullo modo eſt ab eo recedendum, vti eſt de electoribus præſcriptis. 185. 186.
45. Remittitur materia conſuetudinis, & præſertim, an detur contra præceeta Regulæ &c. 187. 188. vſq, ad pag. 192.
46. Adaptatur noſtro Inſtituto, & ideo exceptis Min. & Cuſtodibus, in Capitulo Generali alij nequeunt habere Votum. 188
47. Hæc doctrina confirmatur ex Iure Religionis Dominicanæ noſtræ Coæuæ &c. 192
48. Vicarius etiam biennalis ex Statutis Ordinis excepta præcedentia conditionata, & paternitate, nil aliud habet. 194
49. Quid ſit iuriſdictio, & an includat votum, quidque ſit votum. 194
50. Confirmatur à ſimili de Viſitatore habentè iuriſdictionem, nō tamen votum, & idem de Commiſſ. Gen. ex Statuto Gen. 195

51. An Vicarius electus in fine triennij, vel in ſemeſtri poſt illud poſſit ſuffragari in electione Miniſtri. 196
52. Grauis obiectio circa hanc materiam, & de Vicario nominato in ſubrogatione Definitoris Generalis. 196. 197
53. Declarantur proindè ſatis Particulæ *ſiue*, *vel*, *aut*, ex quibus concluditur intentum. 199
54. Diuerſus modus inſtitutionum Miniſtri, Vicarij, aut Commiſſarij miſſi ad Capitulum Generale ex Reformatis, & Obſeruantibus. 200
55. Munus eorum in illo Capitulo, ac ſi eſſent veri Prouinciales, de iure communi, non autem ex Regula. 201
56. Deputatio huiuſmodi Prominiſtri non eſt ſuppletio electoris abſentis. 202
57. Alijs inductionibus apparet, quod Vicarius impeditus nón poteſt mittere Prouicarium, ſicùt Miniſter Vicarium. 2 3
58. Mortuo Miniſtro in itinere, an poſſit Vicarius relictus mittere alium, & quare non. 205
59. Profectio Vicarij ad Capitulum Generale, & ſi daretur; non eſſet, quia verus elector; ſed vocatus pro negotijs. 204
60. Factum non præſumitur, niſi probetur, & factum contra ius, pro non facto habetur &c. 204
61. Eſſet audiendus quiſquis ſe opponeret contra votúm Vicarij in Capitulis. 205
62. Quale ſit votum in Capitulis, tùm Miniſtrorum, Cuſtodum, & Definitorum; tùm etiam Vicariorum, in eorum regimine. 205

Ad Caſum Parergon.

PEnſiculatur minutiùs Vicariatus pro Coronide Iurium cum duobus corollarijs. 207
In primò, reſpondetur Iuriſtarum axiomati: Subrogatus ſapit naturam ſubrogati, per Gloſas ſatis claras. 208. vſq; ad pag. 211
In ſecundò, deſumitur argumentum à præcedentia, & paternitate conceſſa Vicarijs ex Statutis: Et confirmatur totum à ſimili de ſeſſione Vicariorum in Capella Pontificia &c. 211. vſque ad pag. 215
Reſponſiones conciſæ, & remiſſiuæ ad quatuor conſulta partis à pag. 215. vſque ad finem.

F I N I S.

VAI 153912

163
1
3